DE

# VETERIS TESTAMENTI LOCIS

# A PAULO APOSTOLO

# ALLEGATIS

SCRIPSIT

**AEMILIUS FRIDERICUS KAUTZSCH**

THEOL. LIC. PHIL. DR. SOC. GERM. ORIENT. SOD. SCHOL. NICOL. MAG.



**LIPSIAE**

TYPIS EXSCRIPSERUNT METZGER & WITTIG

1869

---

PROSTAT APUD A. LORENTZ BIBLIOPOLAM

Priusquam ad dissertationem nostram, quae est de veteris testamenti locis a Paulo apostolo allegatis, accedamus, non abs re erit, codices praestantissimos nec non signa, quae ad intelligendum apparatum criticum maxime videbantur necessaria, in commodum lectoris enumerare.

## I. Codices MSS. versionis Alexandrinae uncialibus exarati.

**Cod. I.** (*Holmes.*) Cottonianus saec. fere V. Reliquias geneseos ex flammis ereptas cum supplementis Owenii edidit Tischendorf (*Monumenta sacra* II p. 93–176).

**Cod. II.** (*Holm.*) Vaticanus (quem nos ubique **B** nominavimus; v. infra de nov. testam.) saec. fere IV. Desunt geneseos capita 1–46, psalmorum 105–138. De editione Angeli Maii vide infra.

**Cod. III.** (*Holm.*) Alexandrinus saec. fere V. Desunt 1 Sam. 12, 17 – 14, 9, psalmorum 49, 19 – 79, 12. Male fecit Holmesius in opere suo distinguens inter **III** i. e. lectiones e codice ipso repetitas et „Alex.“ i. e. lectiones ex editione Grabii allatas. Nos Alexandrinum ubique **A** diximus et secundum lectiones in editione tertia versionis Alexandrinae a Tischendorfio notatas laudavimus.

**Cod. IV et V.** (*Holm.*) Sarravianus (IV nunc Lugduni Batav., V partim Lutetiae partim Petropoli asservatus) saec. fere IV.

**Cod. VI.** (*Holm.*) Vindobonensis (geneseos) saec. fere VI.

**Cod. VII.** (*Holm.*) Ambrosianus (pentat., fragmm. Josuae Jesaiae Mal.) saec. fere V.

**Cod. VIII.** (*Holm.*) Dublinensis (fragmm. Jesaiae) saec. fere VI.

**Cod. X.** (*Holm.*) Coislinianus (pentat.) saec. fere VI.

**Cod. XI.** (*Holm.*) Basiliano-Vaticanus (libri historici a medio Levitico omnes) saec. fere IX.

**Cod. XII.** (*Holm.*) Claromontanus (nunc Vaticanus, prophetarum omnium) saec. fere VII.

**Cod. 23.** (*Holm.*) Venetus Marcianus (saec. fortasse VIII, ab Holmesio falso minusculis ascriptus). Insunt prophetae omnes, pars altera Jobi, libri Salomonis omnes etc.

**Cod. 43.** (*Holm.*) Fragmenta psalmorum Parisiensia, saec. IX.

De reliquis codicibus uncialibus sedecim a Tischendorfio adjectis, inprimis de codice Sinaitico (א), cujus pars est Friderico-Augustanus a Tischendorfio editus in monumentis sacris, vide infra. Praeterea Holmesius lectiones affert codicum minusculorum fere CCC, quorum fere LXXX pentateuchum, CL psalmos, XL Jesaiam, XXX Jobum, XX Salomonis libros continent. Fere C alios Tischendorf ex itineribus suis in Europam attulit.

## II. Codices novi test. uncialibus exarati.

**א** Sinaiticus saec. IV medii (vide infra).

**A** Alexandr. (vide supra).

**B** Vaticanus (vide supra).

**C** cod. Ephraemi rescriptus saec. V.

**D** Claromontanus (nunc Parisiensis) graeco-latinus saec. VI.

**E** Sangermanensis (nunc Petropol.) graeco-lat.

**F** Augiensis (nunc Cantabrig.) graeco-lat. saec. fere IX.

**G** Boernerianus (Dresdensis) graeco-lat. saec. fere IX.

Ex his ℵABC ad totum novum testamentum, reliqui non nisi ad epistolas Pauli pertinent. Reliquos ut minoris momenti hoc loco omittendos existimavimus.

E codicibus epistolarum Pauli minusculis Tischendorf hosce inprimis commendat: 1. 17. 31. 47. 55. 67 (inprimis 67** i. e. codicis 67 manus altera proxime ad Vaticanum accedens) 80. 108. 109. 137.

E codicibus Italae ad epistolas Pauli pertinentibus hi prae ceteris notandi sunt:

cod. *d* (i. e. versio latina codici **D** addita).
cod. *e* (versio lat. codicis **E**).
cod. *f* (versio lat. cod. **F**).
cod. *g* (versio lat. cod. **G**).
*gue* (i. e. Guelferbytanus saec. VI).

E codicibus Vulgatae versionis hos enumerare sufficiat: *am.* (Amiatinus saec. VI), *fuld.* (Fuldensis), *tol.* (Toletanus).

Reliqua versionum et patrum sigla per se manifesta non erat, cur singula enumeraremus; obscuriora suis locis exscripsimus.

---

Praeterea editionibus et codicibus ad textum utriusque testamenti accuratius exquirendum usi sumus fere his:

Novum testamentum graece. Ad antiquos testes denuo recensuit C. Tischendorf (editio VII critica major).[1]

Codex bibliorum Sinaiticus (cod. ℵ), quem per antistitis bibliothecae Paulinae liberalitatem secundum editionem magnam uncialibus expressam conferre mihi licuit.

Vetus et novum testam. ex antiquissimo codice Vaticano edidit Angel. Maius. Voll. V. Romae 1857.

Novum testam. Vaticanum ex opere Angeli Maii majore denuo edidit C. Vercellone. Rom. 1859.[2]

1) Codicum minusculorum lectiones passim attulimus etiam e Scholzio (nov. test. graece. Voll. II. Lips. 1830 et 36) et Wetstenio (ἡ καινὴ διαθήκη etc. editionis receptae cum lectionibus variantibus. Amstel. 1751 sq.).

2) Tischendorfii judicium de Maii et Vercellonii editionibus vide in *Novum test. Vatic.*, praef. p. VII et XII.

Novum testam. Vaticanum. Post Angeli Maii aliorumque imperfectos labores ex ipso codice edidit C. Tischendorf. Lips. 1867.

Monumenta sacra inedita sive reliquiae antiquissimae textus novi testam. graeci etc. ed. C. Tischendorf. 1846.

Monumenta sacra inedita. Nova collectio. Ex his inpr. adhibuimus *vol. I* (fragmenta sacra palimpsesta etc. 1854) *vol. II* (fragmenta libri geneseos, inter quae reliquiae celeberrimi codicis Cottoniani. 1857) *vol. III* (fragmenta Origenianae octateuchi editionis etc. 1859).

Vetus testam. graece juxta LXX interpretes (secundum editionem Romanam) edid. C. Tischendorf. ed. III. 1860.

Vetus testam. graecum cum variis lectionibus. Edid. R. Holmesius (tom. I), continuavit Jac. Parsons (tom. II—V). Oxon. 1798—1827. Brevitatis ergo hoc opus ubique simpliciter signo „Holmes." sive „Holm." laudavimus — ne dicam vituperavimus; vehementer enim dolendum est, quantopere opus immensum immensis sumptibus confectum ob auctorum indiligentiam nec non inscitiam fine suo exciderit.[1])

Hexaplorum Origenis quae supersunt etc. edid. Bernh. de Montfaucon. Tomm. II. Paris 1713 sq.

Hexaplorum Origenis quae supersunt auctiora et emendatiora edid. C. F. Bahrdt. II tomm. 1769 sq.

Pentateuchus hebraico-samaritanus charactere chaldaico editus cura et studio Benjam. Blaynay. Ox. 1790.

---

1) cf. etiam Tischendorfii judicium de Holmesio prolatum in versionis Alexandr. editione III, prolegg. p. 53 sq. et Frankel, *Vorstudien zu der LXX* p. 250 sq.

In omnibus Pauli epistolis loci inveniuntur fere nonaginta e vetere testamento allegati. Cum dissertationi nostrae hoc propositum sit, ut quem in modum apostolus LXX virorum auctoritatem secutus sit argumentis comprobemus, primum breviter eos recensebimus locos, in quibus ad verbum LXX virorum textum exscripsit.

# Series I.

## Recensus locorum qui accurate utrique textui et hebraico et graeco versionis Alexandrinae respondent.

### Locus I.

Rom. 4, 6—8 cf. Psalm. 32, 1—2.

*Καθάπερ καὶ Δαυεὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου ᾧ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων. Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι· μακάριος ἀνὴρ οὗ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν.*

**VV. LL.** Codicis **B** manus prior sec. Vercellonii edit.: εκαλυφθησαν. Sed adnotat Tischendorf (in editione novi test. Vatic.), επ— non, vel certe non satis instauratum h. e. atramento denuo inductum esse.

v. 8. Pro οὗ praebent ᾧ textus receptus et Lachm. (1849) cum ℵ^c (i. e. codicis ℵ correctore C) **ACD***** (i. e. codicis **D** manu tertia,

correctoris graeci ineuntis saeculi noni) **FKL** aliis plerisque, *d e f g vulg.* etc. Contra οὗ scripsimus cum **ℵBDE**(?) **G** 67** (quae manus altera cod. 67 sane teste Tischend. fere semper cum cod. **B** facit).

**LXX** prorsus eundem textum praebent, nisi quod sub finem addunt· *οὐδέ ἐστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος.*

**VV. LL.** Editio Romana v. 2 praebet *ᾧ οὐ μὴ κτλ.* cum cod. **B.** At iterum lectio οὗ comprobatur auctoritate codicum **ℵ A** et fragmentorum papyrac. Londin. (Tischend. *Monumenta s. nova coll.* II p. 268) quae Tischendorf inter saeculum quartum et quintum scripta arbitratur et quanquam plena vitiis sint omnia tamen textum repraesentare admodum notabilem dicit (*ibid.* praef. p. 44). — Eadem pro *επεκαλ.* praebent *απεκαλ.* cum codd. tredecim minusc. Holmesii, quam lectionem textui supra exscripto posthabendam esse nemo negabit.

Quod ad varias codicum lectiones οὗ sive ᾧ attinet, haec testium ratio efficitur. In versione Alex. praebent *ου*: **ℵA** fragm. Londin. contra codicem **B**(ω); in novo testamento autem *ου*: **ℵ*BD*** contra **AC**(ω). Quam testium discrepantiam hunc in modum explicandam esse censeo. In versione Alex. ab initio exstitisse οὗ, testium trium celeberrimorum consensus comprobat. At cum ubique praeterea haec dicendi ratio inveniretur: *λογιζεσθαι τινι τι*, difficultatis removendae causa codices nonnulli pro *ου* substituerunt ω, quorum in numero etiam codicem **B** reperimus. Inde etiam in novi test. codices nonnullos ω irrepsisse probabile est (vide supra de **ℵ<sup>c</sup>AC**); nam in novo test. ab initio *ου* fuisse, non ω, iterum consensus codicum **ℵBD** aperte demonstrat. Teste Tischendorfio ipso (*Nov. test. Vat.* praef. p. 23. 31) codicum **ℵ** et **B** consensus „antiquitatis remotissimae textum" comprobat.

Simul facere non possum, quin jam hoc loco rei criticae legem quandam afferam, quam quod ad novum testamentum attinet paene normam lectionum judicandarum principalem dicere possis. Ante inventum codicem Sinaiticum plerumque codices **A** et **B** fontes rei criticae primarii suo jure habiti sunt. Atqui Tischendorf ostendit (*Nov. test. Vatic.* praef. p. 22 et 29), „Sinaiticum codicem et Vaticanum mira ac singulari plane cognatione conjunctos videri." Qua

in cognatione et mirum maxime et gravissimum hoc esse, quod suum uterque textum teneat. Quam cognationem Tischendorf ita explicat, ut codicem utrumque ex eodem textus fundamento sed interpositis quibusdam exemplaribus fluxisse dicat. Hinc nobis quidem persuasum est, codicum **אAB** consensum fere semper textum praebere omnibus praeferendum; iis autem in locis, ubi codices **א** et **A** recedunt a cod. **B**, hujus lectionem illis posthabendam esse. Tum enim eo adducimur, ut lectionem codicibus **א** et **A** reprobatam postea demum ex exemplari quodam interposito in codicem Vaticanum illatam censeamus. Dixerit fortasse quispiam: quidni etiam cod. **א** vice versa ex exemplaribus interpositis emendatus dici potest, ubicunque ejus lectio codicum **A** et **B** consensu reprobatur? Hoc interdum factum esse minime negamus; at hanc ob causam supra hujus rei mentionem non habuimus, quod certe in graviore lectionum varietate codices **A** et **B** perraro contra cod. **א** consentiunt.

Hebraica haec sunt: אַשְׁרֵי נְשׂוּי־פֶּשַׁע כְּסוּי חֲטָאָה ׃ אַשְׁרֵי־אָדָם לֹא יַחְשֹׁב יהוה לוֹ עָוֺן Quibus optime respondet versio Alexandr., nisi quod notiones illae collectivae נשוי et כסוי numero plurali redduntur. Praeterea vocem utramque חטאה et עון LXX viri eodem verbo (*αμαρτια*) transtulerunt. Quod haud temere factum esse ex usu verborum illorum alterno Hupfeld comprobat (*Die Psalmen,* II p. 173) contra spinosas Rabbinorum distinctiones.

### Locus II.

Rom. 4, 18 cf. Gen. 15, 5.

*Εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν κατὰ τὸ εἰρημένον Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου.*

**VV. LL.** nullae.

**LXX.** Idem textus. Cod. **VI** Holm. praebet *εστω*. Praeterea solus cod. 44 *και ουτως*. Illud *εστω* manifesto e correctura irrepsit.

Quae plane respondent verbis hebraicis כֹּה יִהְיֶה זַרְעֶךָ.

### Locus III.

Rom. 7, 7 cf. Exod. 20, 17.

*Τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν Οὐκ ἐπιθυμήσεις.*

**VV. LL.** Solus cod. **K** contra alios omnes *επιθυμησης*. Integer Exodi locus apud LXX viros hic est: *οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου· οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησ. σου·* sine ulla lectionum varietate. Paulus ut pravam concupiscentiam legis indicto provocatam magis urgeret, objecta cupidinis a Mose addita omittebat. Hebraica sunt לֹא תַחְמֹד in utroque versus hemistichio. Cod. Samaritanus bis addit ו (ולא ת׳). [1]) Itaque hoc loco, quod raro factum esse videtur, versio Alex. pentateuchi Samarit. lectionem relinquit. Majoris autem momenti hoc dicendum est, quod apostolus vel in allegando decalogo LXX viros accurate sequitur.

### Locus IV.

Rom. 8, 36 cf. Psalm. 44, 23.

*Καθὼς γέγραπται Ὅτι ἕνεκεν σοῦ θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν, ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς.*

**VV. LL.** *ενεκα* praebet textus rec. cum **CK** aliis plerisque; at *ενεκεν* probatur consensu codicum **אABDEFGL** al.

**LXX.** Idem textus; *ενεκα* praebet cod. **B** (sec. Ang. Maium); *ενεκεν* **אA** et 10 codd. minusc. Holm. Etiam hoc loco lectionem codicum **אA** consensu commendatam Vaticano praeferendam censemus, quippe cuius lectio postea demum ad usum dicendi seriorem accommodata videatur. Praeterea cod. **א** incuria praebet *προτα σφαγης* sine correctura.

Ita recte reddiderunt LXX verba hebraica כִּי־עָלֶיךָ הֹורַגְנוּ כָל־הַיּוֹם נֶחְשַׁבְנוּ כְּצֹאן טִבְחָה Vocem עָלֶיךָ de qua una dubitari potest sive cum

1) Specimina lectionum cod. Samarit. a Rosenio evulgata (*Zeitschr. der DMG.* XVIII. p. 582 sq.) non nisi altero loco ו praebent.

Hupfeld. Olsh. Hitz. Kamph. al. reddimus *„um deinetwillen"* sive cum aliis *„dir zur Last"* vel *„durch deine Schuld"*, utrique versioni LXX virorum illud *ἕνεκεν σου* satis respondet.

**Locus V.**

Rom. 9, 7 cf. Gen. 21, 12.

*Οὐδ' ὅτι εἰσὶν σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα, ἀλλ' Ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα.*

**LXX** eundem textum praebent sine notabili lectionum varietate. Quae versio bene respondet hebraicis illis כִּי בְיִצְחָק יִקָּרֵא לְךָ זָרַע nisi forte quis jussivi notionem accuratius denotatam requirat, quam voci יקרא inesse totius loci contextus demonstrat.

**Locus VI.**

Rom. 9, 12 cf. Gen. 25, 23.

*Ἐρρέθη αὐτῇ ὅτι Ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι.*

**VV. LL.** nullae (cod. א: *μειζον*, at manus C restituit *μειζων*).

**LXX.** Idem textus sine notanda lectionum varietate.

**Hebr.** וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר; Pentateuchus Samarit. (exceptis codd. 6 apud Blaynay): הצעיר; fortasse inde etiam LXX viri articulum receperunt.

Vides versionem Alex. ad verbum respondere verbis hebraicis, cum רב et צעיר ex Hebraeorum dicendi ratione comparativo sensu accipienda sint.[1]) Vox *ὅτι* non ipsius dicti pars est, sed ut saepissime alias introducendae allegationi inservit.

**Locus VII.**

Rom. 9, 13 cf. Mal. 1, $2^{b}$—3.

*Καθὼς γέγραπται Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα.*

**VV. LL.** nullae.

---

1) Cf. Job. 32, 9 ubi רב eadem ratione de aetate usurpatur.

**LXX** *καὶ ἠγάπησα τὸν Ἰακώβ, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα.*

**VV. LL.** Cod. א post *Ιακωβ* addit *λεγει κυριος*, quae verba in versu secundo bis antecedunt.

**Hebr.** וָאֹהַב אֶת־יַעֲקֹב וְאֶת עֵשָׂו שָׂנֵאתִי

Vides apostolum verborum ordinem leviter mutasse praepositis verbis *τον Ιακωβ*. Tamen locum nostrum accurate allegatis ascribere non dubitavimus cum propter mutationis levitatem tum propter manifestam argumenti cum locis antecedentibus necessitudinem.

### Locus VIII.

Rom 9, 15 cf. Exod. 33, 19.

*Τῷ Μωϋσεῖ γὰρ λέγει Ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω.*

**VV. LL.** nullae.

**LXX** prorsus eundem textum praebent praemisso *και*. (Solus cod. 32 Holm. bis habet: *ον εαν*.)

Hebraica haec sunt: וְחַנֹּתִי אֶת־אֲשֶׁר אָחֹן וְרִחַמְתִּי אֶת־אֲשֶׁר אֲרַחֵם

Non video, cur de Wette, quem sequi videtur Meyer, LXX viros versionis minus accuratae reos faciat, pro *ελεησω ον αν ελεω κτλ.* dicendum fuisse *ελεω ον αν ελεησω* affirmans. LXX viros autem locum nostrum minus perlucide quidem sed ad verbum vertisse, temporum hebraicorum docet respectus. Praeterito enim cum ו consecutivo conjuncto futuri notionem inesse satis constat; אחן autem imperfectum, modum rei repetitae designans, graece summo jure cconjuntivo praesentis cum *αν* reddi poterat. Etiamsi formae *ελεω* et *οικτειρω* indicativi praesentis accipiendae essent, res non aliter se haberet (cf. Winer, *Gramm.* p. 274); neutra versione verborum vis ipsa mutatur.

### Locus IX.

Rom. 10, 13 cf. Joel 3, 5 (**LXX** 2, 32).

*Πᾶς [γὰρ] ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου σωθήσεται.*

**VV. LL.** nullae; *γαρ* enim ad locum allegatum non pertinet;

additur ab apostolo, quod vaticinio prophetae tanquam suo utitur sine allegandi formula.

**LXX.** *Καὶ ἔσται πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται κτλ.*

**VV. LL.** nullius momenti. (Cod. א incuria *επικαληται*, at C* *επικαλεσηται*; praeterea *πας* omittunt codd. 36 et 228 Holm. et Chrysost. loco uno; *αν* om. cod. 26 Holm., *ος εαν* praebent א et codd. tres minusc. Holm.)

**Hebr.** וְהָיָה כֹּל אֲשֶׁר־יִקְרָא בְּשֵׁם יהוה יִמָּלֵט

Quibus prophetae verbis LXX viri omni ex parte respondent.

### Locus X.

Rom. 10, 16 cf. Jes. 53, 1.

*Ἡσαΐας γὰρ λέγει Κύριε τίς ἐπίστευσεν τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;*

**VV. LL.** nullae.

**LXX.** Idem textus additis etiam verbis: *καὶ ὁ βραχίων κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη*; quae verba etiam in novo test. addunt cod. 4 et 31 (sec. Wetsten.) et versio Coptica, absque dubio e loco Joh. 12, 38, ubi integer locus allegatur.

**Hebr.** מִי הֶאֱמִין לִשְׁמֻעָתֵנוּ

Utrique textui apostoli verba bene respondent. Vox enim שׁמועה duplici sensu accipi potest, aut activo aut passivo. Alterum sensum, passivum dico, inde a Calvino recte fere omnes tenuerunt interpretes (Gesen.: „*Botschaft*", Ew.: „*Weisssagung*", Knob.: „*Verkündigung*", Hitz.: „*Kunde*"; cf. etiam Jes. 28, 9: את מי יבין שׁמועה). Propheta enim nomine ordinis sui loquitur de praedicatione prophetica a populo spreta.[1]) Eodem sensu LXX viri vocabulo *ακοη* usi sunt („*quis credidit nuntio nostro?*"). Cf. Matth. 4, 24: *ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν*, ubi *ἀκοὴ* aperte significat „*quod de eo enuntiatum est.*" Bene igitur apostoli argumentum prophetae respondet.

1) Aliter sane Delitzsch al. judicant, prophetam loqui nomine populi Israelitici, inde שׁמועה idem valere atque אשר שמענו

### Locus XI.

Rom. 10, 18 cf. Psalm. 19, 5.

*Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν.*

**VV. LL.** nullae, nisi quod **D*** (inde et. *d**) post πασαν addit γαρ. Quae vox manifesto eorum irrepsit opera, qui particulam aliquam nexui inservientem requirebant. Saepius autem omnem allegandi formulam apud apostolum deesse supra jam vidimus.

**LXX.** Idem textus. Cod. 184 Holm. ο φθογγος αυτου (quae lectio fortasse non merae incuriae sed interpretationi allegoricae tribuenda est); verba „τα ρηματα αυτων" om. cod. 27 Holm. — Hexaplorum reliquiae haec habent: Aquil. (quem ad verbum hebraica vertisse constat): εις πασαν την γην εξηλθεν ο κανων αυτων, unde apparet, de lectione קולם pro קום Aquilae temporibus sermonem non fuisse; Symm.: αλλ' εις πασαν την γην εξηλθεν ο ηχος αυτων. Adnotat Bahrdt (l. l. II p. 123) secundum Montefalc., legisse Symmachum קולם. Num recte hoc affirmaverit, vehementer dubito. Imo traditionem antiquissimam secutus esse nobis videtur aeque ac LXX viri (cf. etiam *vulg.*: „sonus").

**Hebr.** בְּכָל־הָאָרֶץ יָצָא קַוָּם וּבִקְצֵה תֵבֵל מִלֵּיהֶם

Quod ad crucem notissimam קום attinet, aut LXX viri aliam secuti sunt lectionem, aut voci קו „φθογγου" notionem tribuendam esse existimabant. Quaerendum erit, utrum magis verisimile videatur. Pervulgata est inde a Lud. Cappello sententia, LXX viros legisse קולם sive קלם. Ita Surenhus (βίβλ. καταλλαγῆς p. 487), qui variam lectionem consulto substitutam esse ab apostolo censet, Olsh. (ad h. l.), Gesen. (in thes. sub voce קו). At si quis hanc lectionis varietatem ex antiqua literarum forma explicare periculum fecerit, vehementer offendet. Neque enim quo tempore antiquae illae literarum figurae variatae sint, inter viros doctos satis constat, neque quasnam literas psalmorum interpres Alex. ante oculos habuerit. Hodius (*De bibliorum textibus originalibus*, p. 178 sq.) de probabili singulorum libro-

rum aetate disserens de psalmis ne verbum quidem facere ausus est. Huc accedit, quod reliqui loci, in quibus vox קול a LXX viris redditur, sententiae illi minime favent. Teste Fuerstio (*concordd. hebr.* sub v. קול) קול graece redditur in versione Alexandr. verbis „φωνη, ωδη, κηρυγμα, λογος, εντολη", nusquam „φθογγος". Ceterum bene monet Hupfeld, lectionem קולם jam propter antecedens idem vocabulum (cf. finem versus quarti) minus esse probabilem. Symmachus more suo[1]) magis verborum nexum, quam propriam notionem curasse nobis videtur, nisi forte difficultate loci commotus LXX virorum auctoritatem secutus est. — LXX interpr. igitur ipsi non vertisse sed explicasse vocem illam videntur. Quae explicatio cum ejusmodi sit, ut inprimis propter respondens vocabulum מליהם optime ferri possit, allegationem nostram iis ascribere non dubitavimus, qui utrique textui satis respondent. Huc accedit, quod inde a Syro interprete („*annuntiatio eorum*") non defuerunt, qui קום e sententia versionis Alexandr. accipiendum esse censerent. Ita Schoettgen, qui ad chaldaicam versionem provocat (מְתַח עִנְיָנְהוֹן i. e. *extensio intellectus eorum*), Gesenius (in thes. sub v. קַו), qui notionem *nervi* vel *chordae*, inde *sonus* subesse censet; eodem modo de Wette, Meyer, Ewald, qui ad radicem קוה (τεινω) provocans de intensione vocis cogitat, Maurer, Olsh., Hitz., qui utrumque vocabulum קום et מליהם tanquam una notione junctum arbitratur („*Faden der Rede*"). Alii propriam notionem mensurae („*Messschnur*") tenent, ut Hupfeld (propter locum similem Job. 38, 5), vel secundum Aben Esra vertere maluerunt: *linea eorum* („*ihre Schriftzüge*"). Ita praeter opinionem supra notatam Surenhus, Calvin., Coccej. al.

Utut res se habet, etiamsi notionem vocis קַו praeterea exstantem non temere relinquendam esse cum Hupfeldo existimamus, hoc concedendum erit, jam Pauli temporibus de propria verbi illius notione dubitari potuisse, cum LXX viri iique ex Judaeis oriundi vocem קַו explicandam censerent. Quapropter non habemus, cur

---

1) Testatur etiam Theod. Antioch. (ap. Hodium l. l. p. 588) ad psalmum 55: Symmachus visus est majorem claritatis (verborum) habere rationem.

Paulum versione eorum admodum probabili usum a textu originali aberrasse affirmemus.

### Locus XII.

a) Rom. 13, 9[b] cf. Lev. 19, 18.

*Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.*

**VV. LL.** Textus rec. praebet *εαυτον* cum **FGL** aliis plerisque; adnotat Tischend., etiam locis parallelis (Matth. 19, 19 etc.) ubique codices secundi vel tertii ordinis praebere *εαυτον*, quamquam ex optimorum testium auctoritate *σεαυτον* edendum fuerit. Etiam nostro loco *σεαυτον* praeferendum est cum **ℵABDE** al. permultis.[1])

**LXX.** Idem textus; *εαυτον* praebent non nisi 10 codd. minusc. Holm., ed. Complut., Aldina et versio Slavon. Ostrog.

Versionis verba prorsus respondent hebraicis: וְאָהַבְתָּ לְרֵעֲךָ כָּמוֹךָ

b) Gal. 5, 14 cf. iterum Lev. 19, 18.

Etiam loco Gal. 5, 14 edendum est *σεαυτον* c. **ℵABCDE**; *εαυτον* iterum male praebent **FGL** al.

### Locus XIII.

Rom. 15, 3 cf. Psalm. 69, 10.

*Καθὼς γέγραπται Οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε ἐπέπεσαν ἐπ' ἐμέ.*

**VV. LL.** nullae. (Textus rec.: *επεπεσον*[2]) c. cod. L al. plerisque. Contra — *σαν* praebent **ℵABCDEFG** 26. 37. al.)

---

1) Meyer (*Komm.* p. 479) cum Lachmanno legere mavult *εαυτον*, ad Wineri sententiam provocans. At ipse Winerus (*Gramm.* p. 136) concedit, loco nostro et Matth. 22, 39 testium auctoritatem magis favere lectioni *σεαυτον*. Affirmat Meyer, lectionem *σεαυτον* et in versionis Alex. textu et apud profanos Graecorum scriptores interpretationis causa saepissime substitutam esse. At nemo unquam dubitavit, quin pronomen tertiae personae pro secunda saepissime legatur: sani autem critici non est quaerere, quid scriptum esse potuerit, sed quid ex optimorum codicum fide re vera scriptum fuerit.

2) Edd. Elzev. annorum 1633 et 1641 adeo *επεπεσεν* errore typographorum.

**LXX.** Idem textus; *επεπεσαν* praebent **אB** (ex editione Angel. Maii, at editio Romana: *επεπεσον*) codd. 5 minusc. Holm.; praeterea tres: *επεσον*. Qua ex comparatione apparet, cum cod. **A** hoc loco mancus sit, in utroque textu cum optimis testibus legendum esse: *επεπεσαν*.

Etiam huic versioni bene respondent hebraica: וְחֶרְפּוֹת חוֹרְפֶיךָ נָפְלוּ עָלָי

### Locus XIV.

Rom. 15, 9 cf. Psalm. 18, 50.

*Καθὼς γέγραπται Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσιν καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ.*

**VV. LL.** Codices fere 25 (inter quos et. **אc**), verss. nonnullae (et. codd. *vulg.*, at non *amiat.*) post *εθνεσιν* addunt „*κυριε*", quod e LXX viris repetitum esse manifesto apparet. Praeterea **DEG** ordinem ita invertunt: *ψαλω τω ονομ. σου.*

**LXX** post *εθνεσιν* addunt *κυριε*. Codd. duo Holm.: *εξομολογησωμαι*, cod. 289: *εν λαοις*, cod. 286: *εν τω ονοματι*, quod e loco parallelo 2 Sam. 22, 50 repetitum videtur[1]), denique codd. tres: *ψαλλω*. Quibus omnibus obest consensus codicum **אB** (ex edit. Ang. Maii) et fragmentorum papyr. Londin. (Tischend. *Monumm. s. nova coll.* I. p. 239).

**Hebr.** עַל־כֵּן אוֹדְךָ בַגּוֹיִם יהוה וּלְשִׁמְךָ אֲזַמֵּרָה

Bene igitur versio Alex. verbis hebraicis respondet, nam *εξομολογεισθαι* c. dat. semper notionem habet *laudandi* (cf. Schleusneri thes. s. v. *εξομολ.*). Vocem *κυριε* sive memoriae lapsu, sive consulto apostolus omisit, quod modo dixerat: *τα δε εθνη δοξασαι τον θεον*, ut de objecto verborum dubitari non posset (cf. etiam Surenhus. l. l. p. 515).

---

1) Locum nostrum non e 2 Sam. l. l., sed e psalmo allegari, lectiones *εν εθνεσιν* (illic testes optimi: *εν τοις εθν.*) et *τω ονομ.* (illic: *εν τω ονομ.*) satis demonstrant. Ceterum in ejusmodi locis parallelis vix de libro praeterea semel tantum ab apostolo laudato (2 Sam. 7, 14 cf. 2 Cor. 6, 18) cogitari potest.

**Locus XV.**

Rom. 15, 11 cf. Psalm. 117, 1.

*Καὶ πάλιν* (sc. *λέγει*)· *Αἰνεῖτε πάντα τὰ ἔθνη τὸν κύριον καὶ ἐπαινεσάτωσαν αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.*

**VV. LL.** Ordinem supra exscriptum (qui in nullo LXX virorum codice legitur) praebent codd. **ℵABDE** 47 *d e guelph. vulg. syr. post.* etc., e patribus Chrys. Theodrt. alii. Contra textus receptus: *τον κυριον παντα τα εθνη* cum **CFGL** al. plerisque, *f g syr.* Theoph. Oec., qui ordo absque dubio e versione Alex. prodiit. — *επαινεσατωσαν* edendum est cum **ℵABC** 39 Chrys. (in codice uno), Dam.; textus receptus: *επαινεσατε* cum **DEFGL** al. plerisque, Chrys. Theodrt. Priorem autem lectionem retinendam esse, codicum quatuor celeberrimorum consensus docet. Altera (— *σατε*) sive propter antecedens *αινειτε* sive e versione Alex. ipsa irrepsit. Denique codd. multi, *syr.* Chrys. *και* ante *επαινεσ.* omittunt (v. LXX).

**LXX.** *Αἰνεῖτε τὸν κύριον πάντα τὰ ἔθνη, ἐπαινεσάτωσαν* (ed. Rom.: *ἐπαινέσατε*) *αὐτὸν πάντες οἱ λαοί.*

**VV. LL.** Cod. **A** (et 55, qui plerumque cum **A** facit): *επαινεσατωσαν;* ejusdem codicis manus altera addit *και* post *κυριον.* Codicis Alex. lectio *επαινεσατωσαν* emendationis e novo testam. suspecta dici posset propter aliorum codicum Holmesii consensum (nam quos patrum locos Holmes. affert, ut paene ubique e novo test. pendent), nisi cod. **ℵ** quoque ex parte eam probaret, quippe qui habeat *αινεσατωσαν*, quod corr. C* demum mutavit in *επαινεσαται.* Huc accedit, quod cod. **B** hoc loco mancus est. Inde nullus dubito, quin lectio codicum **ℵA** primaria habenda sit, etiamsi reliquorum illa *επαινεσατε* non minus ad remotissimam antiquitatem referenda erit. Fortasse ita quaestio nostra ad finem perduci potest: nonnullis LXX virorum exemplaribus manus non desunt, quae sive ad textum hexaplarem sive ad hebraicum ipsum lectiones mutaverint. Itaque si quis tertiam personam in versione Alexandr. legebat, cum in textu hebraico esset שַׁבְּחוּהוּ, facile fieri poterat, ut tertiae personae alteram

substitueret. Inde lectio *επαινεσατε* in reliquos codices irrepsisse nobis videtur. At personarum mutatio illa, quam in codd. **אA** invenimus, bene quadrat ad LXX virorum dicendi rationem; cf. Deuter. 32, 43. ubi imperativum secundae personae bis excipit persona tertia.

Vides igitur, Paulum non nisi mutato verborum ordine (quae mutatio facillime loci argumento, quippe quod *τα εθνη* maxime respiciat, explicatur) a LXX virorum textu recedere. Non minus — ut personarum mutationem supra notatam omittamus — allegatio eius verbis hebraicis הַלְלוּ אֶת־יהוה כָּל־גּוֹיִם שַׁבְּחוּהוּ כָּל־הָאֻמִּים respondet.

## Locus XVI.

1 Cor. 10, 7 cf. Exod. 32, 6.

*Ὥσπερ γέγραπται Ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν καὶ ἀνέστησαν παίζειν.*

**VV. LL.** paene nullius momenti, nisi quod codd. **FG** praebent: *ανεστη*, absque dubio propter antecedentem singularem numerum (*εκαθισεν*).

**LXX** eundem textum praebent sine notabili lectionum varietate (*εκαθησεν* codd. duo minusc. Holm. et Cyr. Alex. loco uno; *ανεστη*, ut in novo test. codd. **FG**, solus Just. M. *dial.* 175. At tota eius allegatio [*εφαγε και επιε ο λαος και ανεστη του παιζειν*] ea est, ut de lectione secundum testes certos a Justino mutata cogitari non possit).

Verba hebraica haec sunt: וַיֵּשֶׁב הָעָם לֶאֱכֹל וְשָׁתוֹ וַיָּקֻמוּ לְצַחֵק׃

Quibus versio Alex. bene respondet; etiamsi enim, quod ad vocem לצחק attinet, proprie de saltationibus cogitandum est in honorem idoli aurei institutis,[1]) LXX virorum illud *παιζειν* solitam verbi צחק notionem accurate reddit.

---

1) De hac vocis צחק notione *saltandi* cf. Knobel. ad locum nostrum et 1 Chron. 15, 29. Veteres Judaeorum interpretes omnes de cultu idoli ipso cogitasse videntur; cf. locos a Wetstenio allatos in *Novum testam.* II p. 140 sq.

### Locus XVII.

1 Cor. 10, 26 cf. Psalm. 24, 1.

*Τοῦ κυρίου [γὰρ] ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς.*

**VV. LL.** nullae, nec apud LXX viros; *γαρ* enim, quod codices novi testamenti partim ante *κυριου* praebent (ita textus rec. cum **AHKL** al.), partim post *κυριου* (**אBCDEFG** al.), nexus causa ab apostolo additum est. Utrique textui plane respondent verba hebraica: לַיהוה הָאָרֶץ וּמְלוֹאָהּ

### Locus XVIII.

1 Cor. 15, 32 cf. Jes. 22, 13.

*[Εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται] φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.*

**VV. LL.** nullae, nec apud LXX, nisi quod solus cod. 106 Holm. perverse habet *φαγομεν και πιομεν*.

**Hebr.** אָכוֹל וְשָׁתוֹ כִּי מָחָר נָמוּת

Infinitivos absolutos adhortationi inservire posse exempla comprobant ab Ewaldo (*Lehrb.* §. 328) collata. Nostro loco dubitari potest, utrum infinitivi orationis directae pars sint (ita Gesen. *Comm. über den Jes.* I p. 693 = אָכוֹל נֶאֱכֹל, Knobel, qui ad locos Jes. 5, 5. 21, 5 provocat, Hitzig [*„die Infinitive bilden eine möglichst kurze Selbstaufforderung“*], an cum antecedentibus infinitivis coniungendi (ita Delitzsch, *Jes.* p. 258). LXX viri, modum adhortativum infinitivis substituentes, satis idoneum sensum ita effecerunt. [1])

1) Mirifice Calvinus, allegationis nostrae fontem ignorans, Pauli dictum illud ad vulgare Epicuraeorum proverbium refert. Similia Graecorum effata sane multa collegit Wetsten. l. l. II p. 169.

### Locus XIX.

2 Cor. 6, 2 cf. Jes. 49, 8.

*Λέγει γάρ Καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοήθησά σοι.*

**VV. LL.** nullius momenti. (Euseb. loco uno: *εν καιρω* .. **D*FG** *d e g: καιρω γαρ λεγει.*)

**LXX.** Idem textus. Cod. **א** solus: *επηκ. σοι* (incuria, ut videtur, propter sequens *σοι;* corrector C[a] etc. restituerunt *σου*).

**Hebr.** בְּעֵת רָצוֹן עֲנִיתִיךָ וּבְיוֹם יְשׁוּעָה עֲזַרְתִּיךָ

Bene igitur LXX viri textui hebraico respondent, nisi quod illud „*tempore beneplaciti*" minus accurate reddiderunt: *καιρω δεκτω*. At etiamsi concedendum est, Paulum in verbis sequentibus *ιδου νυν καιρος ευπροσδεκτος* vocem „*καιρω*" magis urgere, quam per sententiam verborum hebraicorum licebat, tamen haec levioris momenti videbantur, quam quae aliam versionem requirerent.

### Locus XX.

2 Cor. 8, 15 cf. Exod. 16, 18.

*Καθὼς γέγραπται Ὁ τὸ πολὺ οὐκ ἐπλεόνασεν καὶ ὁ τὸ ὀλίγον οὐκ ἠλαττόνησεν.*

**VV. LL.** **FG** al. multi omittunt *ὁ* alterum. Codices pauci (et. *tolet.*) bis praebent *ᾧ* contra reliquorum omnium consensum (at vide LXX).

**LXX.** [*καὶ μετρήσαντες τῷ*[1]) *γομόρ*] *οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολύ, καὶ ὁ τὸ ἔλαττον* [al.: *ὀλίγον*] *οὐκ ἠλαττόνησεν.*

**VV. LL.** *ω το πολυ* et *ω το ελ.* (vide eandem lectionem in novo test.) praebet cod. 72 Holm. (non cod. **A**, ut Holm. falso affert) et ed. Aldina. Eandem lectionem etiam Philo praebet (*Quis rerum divin. haeres* §. 39). Denique *ολιγον* (ut Paulus) pro *ελαττον* habet

1) *τω γομ.* praebet cod. Vatic. sec. edit. Angeli Maii; edit. Rom. *τω* omittit.

manus altera cod. A [1]). Quam ne e novo testamento pendentem dicamus prohibet Philonis locus supra allatus. Philonem enim eadem de causa qua Paulum, h. e. ad vitandam kakophoniam (propter sequens *ηλαττονησεν*) forte in mutationem illam incidisse, vix cuiquam probabile erit; itaque et Pauli et Philonis et codicis A** lectio *ολιγον* ad fontem communem eumque antiquissimum referenda erit, cuius vestigia praeterea in nullo codicum nostrorum ut videtur exstant.

Versio Alexandr. autem bene quadrat ad verba hebraica. Sunt enim haec: וְלֹא־הֶעְדִּיף הַמַּרְבֶּה וְהַמַּמְעִיט לֹא הֶחְסִיר

Inde apparet, apostolum verborum ordinem ab initio mutasse, quod omissis verbis antecedentibus (*και μετρησ. τω γομ.*) aliter fieri non poterat.

### Locus XXI.

2 Cor. 9, 9 cf. Psalm. 112, 9.

*Καθὼς γέγραπται Ἐσκόρπισεν ἔδωκεν τοῖς πένησιν, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα.*

VV. LL. FGK al. *f g vg* (non *amiat.* al.) in fine addunt *του αιωνος* (vide LXX).

LXX in fine addunt *του αιωνος;* variae lectiones plane nullius sunt momenti.

Hebr. פִּזַּר נָתַן לָאֶבְיוֹנִים צִדְקָתוֹ עֹמֶדֶת לָעַד

Utrique textui Pauli allegatio bene respondet, nam illud *του αιωνος* LXX virorum ut supervacaneum omitti facile poterat.

### Locus XXII.

Gal. 3, 16 cf. Gen. 13, 15 (17, 8).

*Οὐ λέγει Καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ᾽ ὡς ἐφ᾽ ἑνός Καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστιν Χριστός.*

Integrum locum nexus causa exscripsimus, quanquam non nisi

1) Irenaei locus, quem praeterea *Holm.* affert, ut e novi testam. auctoritate pendens nihil ad quaestionem nostram facit.

verba *και τω σπερματι σου* e vetere testamento allegata sunt, sive e loco Gen. 13, 15 sive 17, 8. Nam de loco parallelo Gen. 22, 18 cogitari non posse cum Tertull., Chrysost., aliis plerisque, recte ostendit Meyer, *Komm. über d. Br. an die Gal.* p. 134. In utroque loco illo hebraice legitur וּלְזַרְעֲךָ. Difficultatem autem huius allegationis non in verbis positam esse sed in argumento, per se apparet.

## Locus XXIII.

Gal. 4, 27 cf. Jes. 54, 1.

*Γέγραπται γάρ Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα, ὅτι πολλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐρήμου μᾶλλον ἢ τῆς ἐχούσης τὸν ἄνδρα.*

**VV. LL.** Codices **DEFG** praebent *μη* pro *ου* contra codicum **אAB** consensum.

**LXX.** Idem textus. Codex **XII** ad marginem post *βοησον* sub asterisco addit *και τερπον.* Idem additamentum praebent cod. **23** (Venet.-Marcian. maiusc.; vide praefationem nostram) et septem codd. minusc. Holmes. Omnium idem fons erat. Docet enim asteriscus in cod. **XII** ad marginem verbis *και τερπον* additus, eadem verba in hexaplis asterisco notata fuisse. Videntur autem secundum Montefalconium e Theodotione repetita esse, fortasse quod vox hebraica רנה propriam translationem requirere videbatur, cum *ρηξον* non nisi hebraico פצחי responderet. Montefalconius enim (l. l. II p. 176) haec Theodotioni tribuit: *ρηξον ευφροσυνην * και τερπον* (Aquil. et Symm. pro *τερπον* praebent *χρεμετισον*).

**Hebr.** רָנִּי עֲקָרָה לֹא יָלָדָה פִּצְחִי רִנָּה וְצַהֲלִי לֹא חָלָה כִּי־רַבִּים בְּנֵי־שׁוֹמֵמָה מִבְּנֵי בְעוּלָה

Quibus verbis LXX viri bene respondent, nisi quod רִנָּה non aperte redditum est; de sensu vocis *ρηξον* dubitari non potest, sive *φωνην* cum plerisque supplemus sive *ευφροσυνην* cum nonnullis ex *ευφρανθητι* repetimus.

**Locus XXIV.**

Eph. 4, 26 cf. Psalm. 4, 5.

*Ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε.*

**VV. LL.** (**FG***g* post ὀργιζ. inepte addunt δε) nullius momenti.

**LXX** eundem textum praebent sine ulla lectionum varietate.

**Hebr.** רִגְזוּ וְאַל תֶּחֱטָאוּ.

Dubitari potest, num LXX viri hebraica recte verterint. רגז enim proprie est *tremere* (cf. radices cognatas רגשׁ et רעשׁ). Inde Hupfeld: *zittert und sündiget nicht*, h. e. tremite verentes iram dei; similiter Ewald, Olsh., Kamph. Sed ipse Hupfeld concedit, רגז non solum de affectu timoris, sed etiam irae usurpari. Inde Hitzig: *grollet, aber verfehlt euch nicht*, quod רגז sine מפני non idem valeat quod פחדו (ita targumista). Nullo modo ferri potest Dathii versio (quam etiam Hengstenb. sequitur): *nolite irascendo peccare;* tum enim negationis particula bis adhibenda erat. Inde apparet, LXX virorum versionem vocis hebraicae רגז notione minime excludi. Paulus interpretationem LXX virorum simpliciter recepit, hunc in modum eam accipiens: *irascentes nolite peccare.*[1]) Summam argumenti apud Paulum in imperativo altero positam esse iam Bengel monet („saepe vis modi cadit super partem duntaxat sermonis"). Ceterum integer locus a Paulo minus allegatur (ut formulae allegandi defectus docet), sed libere utitur apostolus psaltae verbis ad conformandos Ephesiorum animos. Itaque suo iure versionem vel minus accuratam recipere poterat.

---

1) Bene iam Luther: *zürnet ihr, so sündiget nicht* (aliter sane in versione germ.: *zürnet und sündiget nicht*); h. e. irasci quodammodo licet, peccare irascentibus non licet. Recentiores fere omnes (inpr. de Wette, Meyer, Winer, *Gramm.* p. 438) in eadem stant sententia, varie varii sensum mutantes. Cf. inprimis Zyro (*Stud. u. Kritiken* 1841 p. 681), qui iram ab apostolo — ne dicam permissam at positam quidem accuratius refert ad iniurias ab aliis illatas.

# Series II.

## Recensus locorum qui accurate respondent versioni Alexandrinae at ex parte recedunt a textu hebraico.

### Locus XXV.

Rom. 3, 4 cf. Psalm. 51, 6.

*Καθὼς γέγραπται Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου καὶ νικήσῃς (νικήσεις ?) ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.*

**VV. LL.** Codd. **אADE** (ut vidtr) alii pro *νικησῃς* praebent *νικησεις* contra **B** alios omnes). Propter codicum **א** et **A** consensum lectio *νικησεις* praeferenda mihi videtur, praesertim cum *νικησῃς* in suspicionem cadat emendationis propter antecedentem coniunctivum *δικαιωθῃς*, quo modus coniunctivus etiam altero loco postulari videbatur.

**LXX.** Lectionem *νικησεις* codd. 14 minusc. Holmes. praebent. Inde apparet, utramque lectionem in LXX virorum exemplaribus exstitisse; lectio *νικησῃς* (quae codicum **א** et **B** auctoritate commendatur; cod. Alexandr. hoc loco mancus est) etiam in textu hexaplari LXX virorum et apud Theodotionem erat.

**Hebr.** לְמַעַן תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ

בדברך (infin. Kal non nisi hoc loco legitur) esset: *dum dicis*. Interpretes omnes propter parallelum בשפטך de edicto iudiciali cogitandum esse consentiunt. At propter formam inauditam infinitivi Kal (sine dubio ad normam vocis respondentis בשפטך positam) lectio בִּדְבָרֶיךָ praeferenda videtur, quam quin LXX viri secuti sint vertentes *εν τοις λογοις σου* minime dubito. Vocem תצדק LXX non male e contextu reddiderunt *δικαιωθῃς (ut iustus comproberis)*. Gravius autem in hemistichio altero aberrant. Hebraica enim ita vertenda erant: *ut*

*insons (purus) sis in iudicando* (i. e. *dum iudicas*); LXX autem vertunt: *οπως νικησης*, immiscentes notionem Syriacam vocis זכא, dum hebraico זכה respondet Syrorum דכא, quod a זכא prorsus diversum est. Itaque minime audiendus est Surenhus (l. l. p. 439), Paulum recte vertisse *νικησης*, „quod ille, qui purus est in iudicio, victor evadat"[1]). Denique LXX viri בשׁפטך in passivum sensum verterunt *εν τω κρινεσθαι σε* i. e. *ubi iudicaris*. Quo sensu genus passivum substituere maluerint, difficile est dictu: absque dubio suffixum infinitivi casum accusativum intellexerunt *(„dum te iudicant")*. Versionem Alexandr. secuti sunt Arabs, Aquila (qui praebet: *υπερκριθης*; contra Symm.: *νικαν κρινοντα*· Theodot.: *νικησης εν τω κρινειν*[2])) nec non Paulus apostolus. Et negari quidem non poterit, verba versionis ad apostoli argumentationem melius quadrare, quam textum hebraicum; primum, quod verbis *εν τοις λογοις σου* aperte alluditur ad *τα λογια του θεου*, de quibus locutus erat in versu secundo, deinde quod passivum *κρινεσθαι* in hemistichio altero facile referri poterat ad incredulorum illorum calumnias (*ut superior evadas, cum iudicaris*, h. e. ut extremus rerum eventus doceat, te iniuria accusari ab iis, qui oracula tua male evenisse contendant).[3])

---

1) Quid quod Surenhus exemplis adeo comprobare studet, e Talmude manifestum esse, verbo זכה notionem *vincendi* vel *superiorem et digniorem evadere* inesse. Imo זכה teste Buxtorfio apud scriptores rabbinicos semper denotat *dignum esse, mereri*.

2) Hanc lectionem Montefalc. non solum Theodotioni, sed etiam LXX viris tribuit in hexaplis. Tamen ipse ad marginem vertit: LXX Theod. Vulg.: *vincas cum judicaris*.

3) Minime Meyero concedi potest, illud *κρινεσθαι* LXX virorum sensu mediali accipi posse (*„wenn du rechtest"*). Provocat Meyer ad locos a Schleusnero collatos (*thes.* III p. 385 sq.); at sec. concordantias hebr. LXX vocem שׁפט medio vel passivo non nisi his locis reddiderunt: Jer. 2, 35. 25, 31. Ps. 37, 33. 109, 7. Jes. 43, 26. Ps. 9, 20. Ut hoc omittamus, non nisi locis duobus extremis verbum *κρινεσθαι* absolute legi (alias *προς τινα, τινι, τινα*), omnibus in locis enumeratis coniug. Niphal ita redditur. Kal autem LXX ubique verterunt activo *κρινειν*, quanquam in locis non paucis notio *litigandi* verbis hebraicis subest. Ceterum dubitari non potest, quin reliquae versiones supra notatae illud *κρινεσθαι σε* sensu passivo interpretati sint; imo Theodotion in versione sua medium vel passivum consulto videtur evitasse.

### Locus XXVI.

a) Rom. 4, 3 cf. Gen. 15, 6.

*Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; Ἐπίστευσεν [δὲ] Ἀβραὰμ τῷ θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.*

**VV. LL.** nullae; part. δε enim (quam **D*FG** al. omittunt) nexui inservit. Bene Meyer: *„Paulus hat, um das επιστ. mit ganzem Gewicht an die Spitze zu stellen, δε gesetzt.“* Mirum sane est, quod locus noster in epist. Jacobi (2, 23) prorsus eadem ratione laudatur, praesertim cum illic loci contextus inversionem verborum minime requirat.

**LXX** eundem textum habent praemisso και (sine δε). Non nisi duo codd. minusc. Holm. absque dubio ex auctoritate Pauli δε addunt. Apparet autem ex verbis hebraicis וְהֶאֱמִן בַּיהוה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה LXX viros nomen Abrahami nexus causa addidisse, alterum hemistichium in formam passivam mutasse. Utrumque apostolus e versione recepit.

b) Gal. 3, 6 cf. Gen. 15, 6.

*Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσεν τῷ θεῷ καὶ ἐλογ. κτλ.*

Eundem igitur locum habes iterum omisso και, cum verba geneseos minus allegentur quam orationi apostoli inserantur. Nam γεγραπται, quod **FG** *f g vg* (at non *amiat.* al.) praebent, delendum est cum codd. reliquis omnibus.

### Locus XXVII.

Rom. 4, 17 cf. Gen. 17, 5.

*Καθὼς γέγραπται Ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε κτλ.*

Eadem verba, iterum sine notabili lectionum varietate, LXX praebent plane respondentes verbis hebraicis כִּי אַב־הֲמוֹן גּוֹיִם נְתַתִּיךָ nisi quod *patrem frementis turbae* i. e. ingentis multitudinis populorum (cf. alias קהל גוים) simpliciter *patrem multorum populorum* reddiderunt.

## Locus XXVIII.

Rom. 9, 29 cf. Jes. 1, 9.

*Καὶ καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας Εἰ μὴ κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν.*

**VV. LL.** *εγκατελιπεν* scripsimus cum **אBD*** al.; contra *εγκατελειπεν* praebent **AD***E** (ut vdtr) **FGKL** al. — *ωμοιωθ.* cum **אBDEK** al. plerisque; contra *ομοιωθ.* **AFGL** al. — De primaria lectione *εγκατελιπεν* sive — *λειπεν* iudicari non potest, cum in codicibus antiquissimis *ει* non raro simplici iota reddi inter omnes constet.

**LXX.** *εγκατελιπεν* et *ωμοιωθ.* iterum habent **אB** contra **A** (ut in novo test.) et codices quattuor minusc. Holm.

**Hebr.** לוּלֵי יהוה צְבָאוֹת הוֹתִיר לָנוּ שָׂרִיד כִּמְעָט כִּסְדֹם הָיִינוּ לַעֲמֹרָה דָּמִינוּ

LXX interpr. verba שריד כמעט (proprie *residuum pauxillum*) simpliciter reddiderunt „*σπερμα*“. Verba autem modo dicta recte coniungi accentibus docet Gesen., *Jesaj.* I p. 157. De varia lectione LXX virorum (זרע) cogitari non potest; aut vocem שׂריד obiter intuentes (quod inprimis in Jesaiae versione non raro iis accidit) cum זרע confuderunt, aut — quod magis verisimile est — locus Jes. 6, 13 animis eorum obversabatur, ubi residuum illud populi זרע קדש dicitur. Apostolus etiam hoc loco versionem simpliciter recepit textuum discrepantiam non anxie curans.

## Locus XXIX.

Rom. 12, 20 sq. cf. Prov. 25, 21 sq.

*Ἀλλὰ ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου ψώμιζε αὐτόν· ἐὰν διψᾷ πότιζε αὐτόν· τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.*

**VV. LL.** *αλλα εαν* (contra edit. Tischend.) scripsimus cum **א** (*αλλ᾽ εαν*) **AB** (ex editione Vercell. et Tischend.) al. novem, *d* vg* etc.

Tischend. edidit *εαν ουν* c. **D***EL** aliis longe plerisque, Chrys. Theod. al. Denique *εαν* omisso *ουν* praebent **D*FG** al. 6 *d*** e f g guelf.* etc.[1]). — Porro cod. **A** (incuria ut vdtr): *ψωμισε;* solus **B** (et. ex edit. Tischend.): *επι της κεφαλης αυτου.*

**LXX** *εαν πεινα κτλ;* reliqua enim optime conveniunt. Pro *ψωμιζε* praebent *τρεφε* **אA** et duodecim codd. minusc. Holm.; cod. **23** adeo: *τρεφε αυτον αρτω* (cf. textum hebr.). Cum Paulus lectionem *ψωμιζε* secutus sit, huic antiquitatis palma videtur tribuenda. Hoc autem e consensu codicum **א** et **A** apparet, *τρεφε* glossam esse vetustissimam, fortasse inde ortam, quod vox minus usitata *ψωμιζειν* interpretatione egere videbatur. — v. 21 cod. **A** om. *πυρος.* — **א** (ut vdtr. solus) pro *ποιων* scribit *ποιησας* et sub finem: *επι της κεφαλης;* utrumque corrector Ca ad normam cod. **B** mutavit. Simul inde apparet, lectionem codicis **B** in nov. test. (*επι της κεφ.*) non incuria irrepsisse sed testium antiquorum auctoritate niti.

A verbis hebraicis אִם־רָעֵב שֹׂנַאֲךָ הַאֲכִלֵהוּ לָחֶם וְאִם־צָמֵא הַשְׁקֵהוּ מָיִם׃ כִּי גֶחָלִים אַתָּה חֹתֶה עַל רֹאשׁוֹ LXX non nisi eo recedunt, quod panis et aquae mentionem non habent, particulam כי versus secundi liberius vertunt: *τουτο γαρ ποιων.* Utramque mutationem Paulus e versione recepit.

### Locus XXX.

Rom. 15, 10 cf. Deut. 32, 43.

*Καὶ πάλιν λέγει Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ.*

Eadem ratione LXX viri verba haec reddunt hebraica הַרְנִינוּ גוֹיִם עַמּוֹ. Pauca haec verba, quae sub finem carminis celeberrimi Mosis leguntur, maximam difficultatem moverunt interpretibus.[2]) Verborum enim hebraicorum versio triplex statui potest: 1) *efficite,*

---

1) Meyer *εαν* (omisso *ουν*) praeferendum censet, quod reliquae lectiones omnes non nisi nexui accuratiori studeant. Recte hoc de lectione *εαν ουν* sola monet, quam inde ortam existimo, quod scribae in coniunctione *αλλα εαν* offendebant, cum loci contextus non oppositum (*αλλα*) sed conclusionem requireret.

2) Quid quod Calvinus de iusta interpretatione ut videtur desperans ad locum psalmorum 67, 5 provocare maluit.

*o gentes, ut populus eius iubilet.* Verbum הרנין certe Psalm. 65, 9. Job. 29, 13 aperte significat *iubilare fecit;* absolute etiam legitur Psalm. 32, 11 et 81, 2. At propter sensus inconcinnitatem nemo interpretationem illam hodie tuetur. **2)** *iubilate gentes,* (qui estis) *populus eius.* Ita Aquil.: *αινοποιησατε εθνη λαος αυτου;* Theodot.: *αγαλλιασθε εθνη λαος αυτου;* similiter Luther, e recentioribus Ewald. Varie varii hanc versionem interpretati sunt; hoc autem certum est, tum vocem גוים de populo Israelitico accipiendam esse. Sed ut hoc omittam, גוים perraro de Israelitis legi[1]), minime video, cur hoc potissimum loco notio usitatissima עמו non nisi appositionis loco accedat. **3)** Inde non nisi haec restat interpretatio: *praedicate, gentes, populum eius.* Tum גוים vocativi partes tenet, עמו pendet ab הרנינו (proprie *quod ad populum eius attinet*). Ita Hieron., Onkel., Syrus, Samarit., Saadia, Isaaki, Calvin., Gesen. (*thes.* I, 272) Dathe; cf. inpr. Kamph., *das Lied Mosis,* p. 219 sq.

Prorsus diversa ratione LXX interpr. versum nostrum reddiderunt: *ευφρανθητε ουρανοι αμα αυτω και προςκυνησατωσαν αυτω παντες αγγελοι θεου· ευφρανθητε εθνη μετα του λαου αυτου και ενισχυσατωσαν αυτω παντες υιοι θεου.* Uni igitur hemistichio textus hebr. hemistichia substituerunt quattuor. Unde hauserint ea, difficillimum est dictu. Quod ad versum nostrum attinet, de varia lectione cogitari vix poterit, quanquam in codice Kennicotti uno (146) legitur את עמו (quam lectionem Eichhorn, *Einleitg. in das A. T.* I p. 304, scribae cuidam Isaaki interpretationem respicienti tribuit; tum sane *μετα* illud LXX virorum nullo modo ad variam lectionem illam referri potest). Equidem suspicabar, in interpretis graeci codice fortasse fuisse עמעמו, literis עם scribae incuria repetitis.[2]) — Utut res se habet, Pauli allegatio ad LXX viros provocat hoc sensu, gentibus misericordia dei vocatis una cum populo electo deum esse celebrandum. Quae inter-

---

1) Hupfeld, *die Psalmen* I p. 21, גוים *ubique* de gentibus peregrinis accipiendum esse contendit.

2) In simili sententia invenio de Rossium (in suppl. ad varias lectt.), nempe scriptum fuisse עם עמו posito עם sub finem lineae tanquam sequentis vocabuli custode. At tum scribendum erat עמו.

pretatio etiamsi propriam textus hebraici sententiam haudquaquam praeter modum laedit, hoc certe negari non poterit, apostolum LXX virorum versione, non ipsis verbis hebraicis ad locum nostrum adductum fuisse.

### Locus XXXI.

Rom. 15, 21 cf. Jes. 52, 15.

*Καθὼς γέγραπται Οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται, καὶ οἳ οὐκ ἀκηκόασιν, συνήσουσιν.*

**VV. LL.** **C** al.: *απηγγελη* (facile *Π* mutari poterat ex *Ν*). **א**: *ανηγγελλη* (non correctum). — *οψονται* ante *οις* legitur in cod. **B** 37. *vers. copt.*

**LXX** eundem textum praebent praemisso *οτι*. Edit. Complut.: *περι αυτων*, nescio quibus nisa testibus. Post *συνησουσι* solus cod. 144 Holm. addit *σου*.

**Hebr.** כִּי אֲשֶׁר לֹא־סֻפַּר לָהֶם רָאוּ וַאֲשֶׁר לֹא־שָׁמְעוּ הִתְבּוֹנָנוּ h. e. quae non enarrata erant iis (antea), videbunt; quae non audierant, percipient. Quod LXX viri *περι αυτου* addunt, leviuscula mutatio cum Surenhusio dici potest; at אשר prius coniungentes cum להם (inde *οις*), alterum nominativi loco accipientes, argumenti summam non in re visa et audita sed in audientibus posuerunt et videntibus.[1]) Negari non poterit, apostoli allegationem expresse eadem verborum interpretatione niti. Hoc enim sibi propositum esse dixerat (v. 20), ut evangelium praedicaret, — non iis locis, quibus Christi nomen iam pervulgatum esset, sed apud populos eos, qui cognitione Christi plane etiam carerent. Vides igitur, versionem accuratiorem ad argumentationem apostoli minus quadrare.

---

1) Miror, quomodo Meyer hanc quaestionem loco suo moverit. Illic de regibus sermonem esse dicit, non de populis; suo iure autem apostolum prophetae verba etiam ad populos una cum regibus videntes et audientes retulisse. At in textu hebr. sermo non est de subiectis audientibus, sed de rebus inauditis, quas visuri sint.

### Locus XXXII.

1 Cor. 6, 16 cf. Gen. 2, 24.

*Ἔσονται γάρ, φησίν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.*

**LXX.** *καὶ ἔσονται οἱ δύο κτλ.* Variae lectiones in utroque textu nullae: *γαρ* enim et *φησιν* (quod cum **ℵBCDEFGKL** etc. retinendum est contra **A**) apud apostolum non nisi nexui inserviunt.

Hebraica sunt וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד. Adiecit igitur Paulus una cum LXX viris *οι δυο*, quae verba nusquam leguntur in hebraicis exemplaribus. Leguntur autem in pentat. Samaritano (היה משניהם), apud Syrum, Hieron., Pseudoionathanem. E targumo (circa saeculum VII conscripto) de textu primario iudicari non potest; Hieron. absque dubio Pauli et Matthaei (cf. 19, 5) auctoritatem secutus est. Denique quod ad Syrum et Samaritanum attinet, inter omnes constat, illos in locis permultis facere cum versione Alexandrina.[1]) Itaque in eo acquiescendum erit, Paulum etiam hoc loco versionem Alex., non textus hebraici lectionem variam esse secutum.

### Locus XXXIII.

2 Cor. 4, 13 cf. Psalm. 116, 10.

*Κατὰ τὸ γεγραμμένον Ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα.*

**VV. LL.** **ℵFG** *g verss. syr. et goth.* addunt *και* post *διο.* At *και* repetitum videtur ex hemistichio altero (*και ημεις πιστευομεν, διο και λαλουμεν*).

**LXX** prorsus eundem textum praebent sine lectionum varietate; nam Euseb. (praep. evang. p. 573), qui *και* post *διο* addit, ex auctoritate novi test. (vide supra lectionem codicum **ℵFG**) pendet.

Verbis hebraicis הֶאֱמַנְתִּי כִּי אֲדַבֵּר וגו׳ difficultas ulla inesse non videtur, at inde oritur, quod verba illa certe secundum textum

1) Teste Eichhornio (*Einleitung in das A. T.* I p. 453) LXX viri locis fere mille consentiunt cum pentat. Samaritano; qua de re cf. etiam: Gesenius, *de pentat. Samarit. origine* etc. p. 14; de Wette, *Einleitg. in d. A. T.* p. 65.

hebraicum absolute accipi non possunt, sed cum insequentibus arcte cohaerent. Quanquam de nexu ac notione singulorum magnopere inter se dissentiunt interpretes, hoc fere omnes nunc concedunt, versionem „*nam dicebam*“ (ita e recentioribus solus Olshausen) ferri vix posse propter temporis imperfecti indolem; nec non, versionem „*quanquam dicebam*“ (Dathe, Rosenm., de Wette) nullo modo statui posse propter notionem vocis כי. Ex his manifesto apparet, LXX viros non leviter recedere a textu hebraico, quippe qui verba *επιστ. διο ελαλησα* absolute accipi maluerint; coniuncta enim cum sequentibus (*εταπεινωθην σφοδρα*) sensu prorsus carerent. Pauli autem allegatio expresse LXX virorum versione nititur, quod e versus tertii decimi initio ac fine (eundem spiritum fidei habentes secundum scriptum illud — *επιστ. διο ελαλ.* — etiam nos fidem habuimus, quapropter etiam locuti sumus) manifesto apparet.

### Locus XXXIV.

2 Tim. 2, 19ᵃ cf. Num. 16, 5.

*Ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ.*

Solus cod. א praebet: *παντας τους οντας αυτου* (at corr. C *παντας* punctis impositis reprobavit).

**LXX.** *ἔγνω ὁ θεὸς τοὺς ὄντας αὐτοῦ* [*καὶ τοὺς ἁγίους κτλ.*]

**VV. LL.** Solus cod. 71 Holm. (absque dubio secundum nov. test.) habet *κυριος*. Edit. Aldina: *επεγνω*, cuius lectionis testes nusquam inveni. — Paulus igitur non nisi eo recedit a versione Alex., quod verbis *ο θεος* substituit *κυριος*.

**Hebr.** וְיֹדַע יהוה אֶת־אֲשֶׁר־לוֹ וגו׳

LXX igitur legentes יָדַע verterunt: *novit Jehova* pro: *notos reddet Jehova*. Quae versio bene ferri posset, nisi totius loci contextus re vera imperfectum coniug. Hiphil (יֹדַע) posceret. Est enim in loco Num. 16, 5: *cras deus indicabit, quis eius sit* (LXX minus accurate: *τους οντας αυτου;* cf. quae sequuntur ואת הקדוש) — *quem enim electurus est, eum ad se vocabit.* LXX autem confundentes בֹּקֶר cum בִּקֵּר

(unde etiam falsa interpretatio vocis ידע irrepsit) verterunt: επεσκεπται και εγνω κτλ. (at cf. v. 7. 16 et Knobel. ad hunc l.). Ceterum hoc libenter concedimus, accuratiorem textus hebraici interpretationem argumento apostoli, licet verba illa aperte e versione Alexandr. repetierit, non minus respondere.

---

# Series III.

## Recensus locorum qui non nisi leviter a versione Alexandrina recedunt.

---

Pertinent huc loci omnes ii, qui in universum ad normam versionis Alexandrinae exscripti in rebus minutioribus (quod plerumque lapsu memoriae vel libera allegandi ratione videtur factum esse) eam relinquunt, ut secundum LXX viros allegari eosdem confidenter affirmare possis. Per se apparet, hic rationem non habendam esse eorum, quos consulto apostolus aliqua ex parte mutavit. Ceterum loci nunc enumerandi paene omnes a textu hebraico plus minus recedunt.

### Locus XXXV.

Rom. 2, 24 cf. Jes. 52, 5.

*Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσιν, καθὼς γέγραπται.* (Sine ulla lectionum varietate.)

**LXX.** *τάδε λέγει κύριος Δι' ὑμᾶς διὰ παντὸς τὸ ὄνομά μου βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι.*

**VV. LL.** Codd. duo Holm. διαπαντος praebent post μου. Praeterea verba bene consentiunt. — Paulus igitur verborum ordinem mutavit, δια παντος omisit, pro μου substituit του θεου. Ceterum et

formula allegationis postposita et totius loci contextus docet, verba Jesaiae minus allegata quam orationi apostoli inserta esse.

**Hebr.** וְתָמִיד כָּל־הַיּוֹם שְׁמִי מִנֹּאָץ. E suis igitur LXX viri verba *δι' υμας* et *εν τοις εθνεσι* addiderunt [1]), hebraica כל היום omiserunt. Utrumque Paulus imitatus est; qua in re etiam hoc monendum est, accuratiorem textus hebraici versionem, quippe qui non Judaeos ipsos sed tyrannos eorum accuset, ad finem apostoli minus quadrare. At libere utitur Jesaiae verbis tanquam suis, ut Judaeos transgressione legis deum offendentes (cf. v. 23) increpet.

## Locus XXXVI.

Rom. 3, 13 – 18.

Hunc locum e variis veteris testamenti versibus consertum propter sensus concinnitatem dirimere nolui, quanquam versus nonnulli paene accurate versioni Alex. respondent. Tota autem locorum illorum series tam arcte cohaeret, ut ex eodem fonte hausti videantur [2]). At cf. de hac veterum Judaeorum methodo plures scripturae locos in unum contrahendi Surenhus., l. l. p. 45 sq. Exempla huiusmodi apud Paulum exstant fere haec: Rom. 9, 25 sq. 9, 27 sq. 10, 5 sq. 11, 26 sq. 11, 34 sq. 12, 19 sq. 13, 9. 1 Cor. 15, 25 sq. 2 Cor. 6, 16 sq. (ubi tres loci iunguntur) 2 Tim. 2, 19. Non raro etiam ad rem eandem accuratius comprobandam loci varii cum sua quisque allegandi formula enumerantur. Ita Rom. 4, 17 sq. loci duo; 9, 7 sq. loci duo; 9, 12 sq. loci tres; 9, 25 sq. loci quattuor; 10, 11 sq. loci octo; 11, 8 loci duo; 15, 9 sq. loci quattuor; 1 Cor. 15, 54 loci duo; Gal. 3, 11 sq. loci tres.

---

1) Extrema verba *εν τοις εθνεσι* ad loc. Ezech. 36, 21 sq. referri possunt, unde Calvinus (quem sequitur Ewald) totum locum nostrum ad Ezechielem referre mavult. Fortasse glossa erant providentis, ne crimen laesae maiestatis Jehovae in Judaeos ipsos caderet.

2) Re vera versus 13 sq. in codice B versionis Alex. ad marginem adscripti leguntur post loc. Psalm. 14, 3; in cod. ℵ a correctore C[a] demum uncis inclusi sunt. Quid quod codd. duo hebr. Kennicotti post loc. Psalm. 14, 3 eosdem (sec. nov. test.) addiderunt.

a) Rom. 3, 13ᵃ cf. Psalm. 5, 10.

*Τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν κτλ.*

**VV. LL.** in utroque textu nullius momenti. Verba hebraica קֶבֶר־פָּתוּחַ גְּרֹנָם לְשׁוֹנָם יַחֲלִיקוּן versioni satis respondent. Verba extrema proprie audiunt: *linguam suam blandam reddunt (poliunt);* sed cum החליק omisso accusativo etiam alias (cf. Ps. 36, 2. Prov. 29, 5) notionem *blandiendi* teneat, suo iure Surenhus, Dathe, Kamph. cum versione Alex. interpretantur: *lingua sua blandiuntur.*

b) Rom. 3, 13ᵇ cf. Psalm. 140, 4.

*ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν.*

In versione Alex. cod. unus Holm. addit *αει* post *αυτων*. Ceterum LXX bene respondent verbis hebraicis: חֲמַת עַכְשׁוּב תַּחַת שְׂפָתֵימוֹ

c) Rom. 3, 14 cf. Psalm. 10, 7.

*ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει.*

Cod. **B** (et 17; cf. etiam Cypriani *os eorum*) post *στομα* addit *αυτων*. Quod sine dubio sec. LXX viros a seriore manu in textum illatum est.

**LXX.** *οὗ ἀρᾶς τὸ στόμα αὐτοῦ γέμει καὶ πικρίας* [*καὶ δόλου*] sine lectionum varietate. Eundem textum usque ad vocem *και* teste Montefalc. I p. 486 etiam hexaplorum reliquiae praebent.

**Hebr.** אָלָה פִּיהוּ מָלֵא וּמִרְמוֹת [וָתֹךְ]

Paulus igitur, cum in reliquis locis omnibus pluralem numerum servaret, libere etiam haec verba in finem suum mutavit, at retenta particula relativa (*ων*) a textu hebraico aliena. Praeterea etiam vox *πικρια* docet, de fonte allegationis dubitari non posse; alias enim מרמות accuratius vertendum erat „*fraudes*". LXX viri autem vertentes „*πικριας*" non aliam secuti sunt lectionem (Olshaus. de מרות cogitat), sed ut saepissime factum est locum obiter intuentes radicem מר falso immiscuerunt.

d) Rom. 3, 15—17 cf. Jes. 59, 7 sq.

*ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα, σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν καὶ ὁδον εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν.* (Sine notabili lectionum varietate.)

**LXX.** *οἱ δὲ πόδες αὐτῶν [ἐπὶ πονηρίαν τρέχουσι] ταχινοὶ ἐκχέαι αἷμα [καὶ οἱ διαλογισμοὶ αὐτῶν διαλογισμοὶ ἀπὸ φόνων]· σύντρ. καὶ ταλαιπ. ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ οἴδασι* (al. *ἔγνωσαν*) *[καὶ οὐκ ἔστι κρίσις ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν]*.

**VV. LL.** *δε* omittunt codd. quattuor minusc. Holm. — Post *αιμα* addunt *αναιτιον* cod. Clarom. (**XII**) ad marg., **23** et codd. minusculi quattuor Holm.; fluxit autem ex hexaplis, ubi teste Montefalc. *οι λοιποι* (i. e. Aquil. Symm. Theod.) secundum vocem hebr. נקי addiderunt. — Denique *εγνωσαν* pro *οιδασι* praebent **A XII** (ut videtur) codd. minusc. sex Holm.; patrum loci, quos praeterea Holm. affert, e novi testam. auctoritate pendent. Itaque facile quis dixerit, Paulum hoc loco lectionem variam codicibus duobus praestantissimis (**A XII**) commendatam secutum esse contra cod. **B**, quem secundum rectam Bleekii[1]) animadversionem in graviore lectionum varietate plerumque sequitur. At quaestio nostra etiam difficilior redditur eo, quod in hexaplorum reliquiis eiusdem lectionis (*εγνωσαν*) vestigia exstant. Adnotat enim Montefalc. (II p. 183), secundum Curterium (qui lectionem illam e manuscripto Jesaiae hauserit) in hexaplis additum fuisse: *αλλ. ουκ εγνωσαν*. Equidem nullo modo dubitarem, quin siglum *αλλ.* legendum esset *αλλοι* (ita ut aliorum codicum lectio eaque antiquissima afferretur), nisi alio loco (Jes. 28, 11 cf. 1 Cor. 14, 21) siglum *αλλ.* aperte Pauli allegationem, quod suo loco probare studebimus, denotaret. Quidni etiam hoc loco siglum *αλλ.* Pauli lectionem respicere potest? Ex hexaplis autem eadem lectio in codices **A** et **XII** inferri poterat, quos interdum textum hexaplarem repraesentare satis constat. At cum nemo hoc pro certo affirmare possit, eiusmodi adnotationes ab Origene ipso

1) *Versuch einer vollst. Einleit. in d. Brief an d. Hebr.*, p. 369 sq.

additas nec post eius tempora demum textui hexaplari adiectas esse, minime nego, siglum illud *αλλ.* re vera aliorum codicum lectionem variam respicere potuisse.

Paulus igitur versionem accurate secutus est, nisi quod hemistichia duo omisit, primum membrum in brevius contraxit, voci *ταχινοι* substituit *οξεις* (num forte locum Amos. 2, 15 — *ο οξυς τοις ποσιν αυτου* — admiscens?); quibus verbis notionem admodum cognatam fuisse Hesychii glossae (ed. Ernest. p. 213) comprobant. A verbis hebraicis רַגְלֵיהֶם לָרַע יָרֻצוּ וִימַהֲרוּ לִשְׁפֹּךְ דָּם נָקִי־ שֹׁד וָשֶׁבֶר בִּמְסִלּוֹתָם׃ דֶּרֶךְ שָׁלוֹם לֹא יָדָעוּ LXX viri non nisi eo recedunt, quod וימהרו adiectivo reddiderunt (*ταχινοι*) et vocem נקי ommittunt.

e) Rom. 3, 18 cf. Psalm. 36, 2.

*οὐκ ἔστιν φόβος θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.*

**LXX** (etiam in hexaplis) eundem textum praebent, nisi quod pro *αυτων* habent *αυτου.* Quae mutatio apud Paulum maiori textus concinnitati inservit (cf. supra v. 14 *ων* pro *ου*).

**Hebr.** אֵין־פַּחַד אֱלֹהִים לְנֶגֶד עֵינָיו. De verbis פחד א׳ i. e. terror dei (LXX minus accurate „*φοβος θεου*“) cf. Hupfeld, *Die Psalmen* II p. 230.

### Locus XXXVII.

Rom. 9, 9 cf. Gen. 18, 10. 14.

*Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός.*

**LXX** Gen. 18, 10: *ἐπαναστρέφων ἥξω πρὸς σὲ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας καὶ ἕξει υἱὸν Σάῤῥα ἡ γυνή σου.* • (Var. lectt. nullius momenti.)

**Hebr.** שׁוֹב אָשׁוּב אֵלֶיךָ כָּעֵת חַיָּה וְהִנֵּה־בֵן לְשָׂרָה אִשְׁתֶּךָ

Gen. 18, 14: *εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον ἀναστρέψω πρὸς σὲ εἰς ὥρας καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός.*

**Hebr.** לַמּוֹעֵד אָשׁוּב אֵלֶיךָ כָּעֵת חַיָּה וּלְשָׂרָה בֵן

Utrumque igitur locum minus accurate LXX interpretes verterunt. כעת חיה utroque loco reddiderunt „*εις ωρας*". Vocem למועד loci alterius vertunt „*εις τον καιρον τουτον*", unde etiam *κατα τον καιρον τουτον* in loc. Gen. 18, 10 videtur transiisse[1]). Praeterea in priore loco omiserunt והנה, fortasse legentes והיה. Quid sibi voluerint vertentes *εις ωρας*, difficile est dictu. Secundum scriptores Graecorum profanos (cf. Plut. Pericl. 14. Arist. Thesmoph. 950) „*εις ωρας*" simpliciter esset „*anno proximo*". Quod verbis hebraicis כעת חיה etiamsi non accurate respondet, certe non contradicit.

Pauli allegatio aperte utrumque locum respicit. Summa autem argumenti cum ei posita esset in verbis *ελευσομαι* et *εσται*, ut secundum verba praemissa (*επαγγελ. ο λογ. ουτος*) ostenderet, de promissione dei illic sermonem esse, reliqua verba non anxie curavit. Itaque verbis *επαναστρεφων ηξω* simpliciter substituit *ελευσομαι*; verba *εις ωρας* et *προς σε* ut ab argumento suo aliena omisit. Hemistichium alterum e loco Gen. 18, 14 ad verbum retinuit. Qua in re sane hoc monendum est, mutationes illas non fortuitas esse. Vox enim *ηκω* nusquam in Pauli epistolis legitur (locus Rom. 11, 26 e loco Jes. 59, 20 transcriptus est); quid mirum igitur, quod libere versum illum allegans vocem multo usitatiorem substituit. Non minus verba *εις ωρας* (quae nusquam in nov. test. leguntur) ut a temporis sui dicendi ratione aliena omittere poterat.

## Locus XXXVIII.

Rom. 9, 26 cf. Hos. 2, 1.

*Καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς Οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ θεοῦ ζῶντος.*

**VV. LL.** *ερρεθη* (quae forma secundum optimos testes in omnibus Pauli epistolis edenda est) cum **אB*D*K** al. multis scripsimus

1) His excluditur coniectura Schoettgenii (*Horae hebr.* I p. 544), LXX viros in codicibus suis legisse כעת הזה. Imo verterunt למועד ut 2 Reg. 4, 16 (למועד הזה) „*εις τον καιρον τουτον*". Falso etiam Meyer et de Wette ad Pauli locum adnotant, verba *κατα τον καιρον τ.* in versione Alex. respondere hebr. כעת חיה.

contra B** etc. (ερρηθη). — Vocem αυτοις omittit cod. B (et. *f* et *amiat.*) contra reliquos omnes. Denique א pro οὗ praebet ᾧ, quod jam manus A secund. Tischend. mutavit in οὗ.

**LXX.** καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς Οὐ λαός μου ὑμεῖς, [ἐκεῖ] κληθήσονται καὶ αὐτοὶ (al. omitt.) υἱοὶ θεοῦ ζῶντος.

**VV. LL.** ω ερρεθη (ut Sinait. in novo test.) codd. duo Holm. praebent. — εκει (ut Paulus) praemittunt **A 23** et sex codd. minusc. Holm.; iidem codices (et sex praeterea minusc.) cum Paulo verba και αυτοι omittunt. Propter hanc testium et multitudinem et dignitatem negari non poterit, quin apostolus lectionem antiquissimam a codice **B** recedentem secutus sit. Qua in re maxime hoc dolendum est, quod ex Holmesio de testibus cum cod. **B** facientibus judicari non potest; cod. א deficit. Proprie igitur locus noster non nisi quod ad textum cod. **B** LXX attinet tertio huic ordini ascribendus erat.

A verbis hebraicis וְהָיָה בִּמְקוֹם אֲשֶׁר־יֵאָמֵר לָהֶם לֹא־עַמִּי אַתֶּם יֵאָמֵר לָהֶם בְּנֵי אֵל־חָי codicis **A** textus (et Pauli allegatio) non nisi eo recedit, quod εκει ante κληθησ. praemittit; codex **B** εκει omittit, sed verba και αυτοι post κληθησ. addit. Ceterum hoc negari non poterit, „εκει" illud ad apostoli argumentum melius quadrare quam textum hebraicum. Cum enim Hoseae verba proprie Judaeos iterum in gratiam dei recipiendos respiciant, Paulus loco nostro eum in finem utitur, ut gentes quoque secundum pristinum dei arbitrium ad salutem vocatas esse comprobet.[1])

## Locus XXXIX.

Rom. 9, 27 sq. cf. Jes. 10, 22 sq.

*Ἡσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ ὑπόλειμμα σωθήσεται· λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων [ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον] ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς.*

---

1) Praeterea verba בִּמְקוֹם אֲשֶׁר fortasse rectius vertenda erant *„loco"* (i. e. *anstatt dass;* Grot. Hitz. Ewald). At cum ubique alias בִּמְקוֹם א׳ non nisi locali sensu inveniatur, eundem LXX viri etiam hoc loco retinuerunt.

VV. LL. *υπολειμμα* (quod nemo in LXX praebet) edendum erat cum ℵAB Euseb. (demonstr. evang. 145 et 150, quibus locis Euseb. textum accurate exscribit). Contra textus receptus praebet *καταλειμμα* cum codicis ℵ manu A (quae *κατα* ad marginem adscripsit signis additis voci *το* in textu et *κατα* ad marg.) DEFGKL al. plerisque. Denique cod. 47: *υποκαταλειμμα*, quae lectio quomodo orta sit, correctura codicis ℵ supra notata satis indicat. Itaque cum ℵAB retinendum est *υπολειμμα;* reliqui omnes ex auctoritate versionis Alexandr. pendere nobis videntur. Emendationem autem (*καταλ.*) antiquissimis iam temporibus in codicibus nonnullis exstitisse, iterum codicis ℵ lectio marginalis docet. — In versu 28 verba uncis a nobis inclusa omittunt ℵAB 23* 47* 67** verss. *syr.*, *copt.*, *arab. Erp.*, e patribus Euseb. (dem. evang. 150) Dam. Aug. — Eadem verba praebent ℵcDEFGKL alii longe plerique; e versionibus *itala*, *vulg.*, *syriaca post.*, *goth.*, *arab. post.*, *slavon.*, denique patrum loci septem, inter quos Euseb. (dem. evang. 145) et Chrys. — Denique B (ut videtur solus) scribit *ο κυριος*.

Quod ad omissionem verborum *εν δικαιοσ. κτλ.* attinet, e testium comparatione primum hoc apparet, utramque lectionem antiquissimam esse; alias versio Syriaca (at cf. versionem Syr. p.), quam circa initium saeculi tertii ortam esse existimant[1]), ea non omisisset, versio Itala non retinuisset. Huc accedit, quod Eusebius in eodem libro utramque lectionem deinceps secutus est. Nihilominus facere non possum, quin etiam hoc loco lectionem codicum ℵAB consensu commendatam vel Italae testimonio praeferam, praesertim cum verba illa in suspicionem cadant refectionis e versione Alex. repetitae.

**LXX.** *καὶ ἐὰν γένηται ὁ λαὸς Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης τὸ κατάλειμμα αὐτῶν σωθήσεται· λόγον [γὰρ] συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ.*

1) Cf. Hug, *Einleitung in die Schriften des N. T.* 1 p. 367.

**VV. LL.** *ο λαος σου* praebent quinque codd. minusc. Holm.; teste Montefalc. „*σου*" Theodotion habebat in hexaplis, unde in codices illos videtur irrepsisse. — *αυτων* (quod cum **אB** recepimus) deest in **A XII** (at habet in marg.) et codicibus minusc. 7. — *γαρ* (ut Paulus) addunt **אAXII23** et codd. minusc. viginti duo; ita etiam editt. Complut. et Aldina. Inde dubitari non potest, quin Paulus *γαρ* illud sec. testes antiquissimos receperit. — *ποιησει κυριος* scripsimus cum cod. **B** ex edit. Ang. Maii (editio Rom.: *κυριος ποιησει*); at iterum consentientes **אAXII** et codd. quatuordecim minusc. Holm.: *ποιησει ο θεος*. Itaque cum supra Paulus *αυτων* omisisset cum **AXII** contra **אB**, hoc loco *κυριος* praebet cum **B** contra **אAXII** etc. Vides igitur, utramque textus formam iam in antiquissimis exemplaribus exstitisse, ut de lectione quadam primaria iudicari vix possit. Reliquae lectiones, ut *κυριος κυριος των δυναμεων, κυριος δυν., κυριος ο θεος* nullius sunt momenti, quippe quae omnes coniunctis lectionibus *κυριος* et *ο θεος* ex hexaplis illatae sint.[1])

Paulus igitur primis LXX virorum verbis substituit: *εαν η ο αριθμος των υιων Ισραηλ;* unde haec fluxerint, haud difficile est dictu. Leguntur enim initio eiusdem versus (Hos. 2, 1), cuius partem alteram apostolus modo allegaverat, hunc in modum: *καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης κτλ.* Quae verba cum paulo ante apostolus recens in memoriam reduxisset, minime mirum est, quod ea Jesaiae tribuit, praesertim cum locus uterque iisdem verbis pergat (*ως η αμμος της θαλ.*). Inde simul factum videtur, ut loci Hoseae vocem *ἦν* (ita enim cum Tischendorf. legendum est; cf. verba hebraica והיה), simul de initio versus Jesaiani admodum simili cogitans, confunderet cum *ἦν* i. e. *εαν*. Apostolum autem memoriter prophetae locum allegasse, docet *υπολειμμα* pro *καταλ.* (neutrum prae-

1) Teste Bahrdtio lectio *των* O. in hexaplis erat: *κυριος*, Symmachi autem et Theodotionis (secundum textum hebr.) *κυριος ο θεος των δυναμεων*, quae verba inde ab *ο θεος* asterisco notata erant. Ita in codices versionis Alex. transierunt et pro suo quisque arbitrio ea variantes scribae tantam lectionum multitudinem effecerunt.

terea legitur in novo test.) nec non verba extrema, ubi Paulus pro *εν τη οικουμ. ολη* simpliciter praebet: *επι πασης της γης*.

Restat etiam quaestio vel difficillima, quem sensum apostolus LXX virorum verbis tribuerit nec non, quomodo LXX in versionem illam non leviter a textu hebraico recedentem inciderint. Verba hebraica haec sunt: כִּי אִם־יִהְיֶה עַמְּךָ יִשְׂרָאֵל כְּחוֹל הַיָּם שְׁאָר יָשׁוּב בּוֹ כִּלָּיוֹן חָרוּץ שׁוֹטֵף צְדָקָה׃ כִּי כָלָה וְנֶחֱרָצָה אֲדֹנָי יהוה צְבָאוֹת עֹשֶׂה בְּקֶרֶב כָּל־הָאָרֶץ h. e. ex interpretatione nostra: *nam si erit (esset) populus tuus, Israel, ut arena maris,* [non nisi] *reliquiae eorum* (proprie: *in eo*) *redibunt* (sc. ad deum, h. e. *se convertent*). Verba שאר ישוב ita accipienda esse docet locus Jes. 7, 3; alludit enim locus noster ad nomen illud filii Jesaiae. At symbolum nomini illi inditum minime intelligentes[1]) LXX viri etiam hoc loco verbis שאר ישוב notionem recipiendi, restituendi tribuerunt. Apostolus autem *σωθησεται* sensu usitato de salute messianica sive aeterna accipiens in hac re magis accedit ad textum hebraicum, nisi quod pro causa efficiente (h. e. paucorum conversione) rem affert consequentem, nempe salutem eorum aeternam. — Sequentes textus hebraici versus ita verterunt LXX interpr., ut cum nonnullis dubitare possis, num verbis eorum comparato textu hebraico sensus omnino insit[2]). Textus enim hebr. haec fere habet: *excidium decretum est, fluminis instar afferens iustitiam (iustum iudicium). Nam excidium et decretum* (h. e. *excid. decretum) efficiens (est) dominus Jehova Zebaoth in media tota terra.* Quae LXX virorum versio praebet, hunc in modum orta esse existimo[3]). In utroque hemistichio voce *συντεμνειν* radicem hebr. חרץ reddebant. Voci כליון notionem *συντελειας* substituebant (paene ubique enim

---

1) Locum Jes. 7, 3 LXX vertunt: ο *καταλειφθεις Ιασουβ* (!); cf. et. 10, 21: *και εσται το καταλειφθεν του Ιακωβ επι θεον ισχυοντα* (שאר ישוב שאר יעקב אל אל גבור).

2) Omnino Jesaiae interpres inter LXX viros minime officio suo satisfecit. Jam Michaelis omnium pessimum eum dicebat. Gesenii iudicium vide in comment. ad Jesaj. I p. 56 sq.

3) Ex aliorum sententiis vide: Fritzsche (*Comm. in epist. Pauli ad Rom.* II p. 349) et *E. Meier* (*Annales Tubing.* 1845 p. 190).

verbum כלה vertunt: *συντελεισθαι*); vocem שוטף aut prorsus omiserunt (alias plerumque vertunt: *κατακλυζειν*) aut sensum attenuantes pro „*affluens iustitiam*“ simpliciter scripserunt: *εν δικαιοσυνη*. Inde proprie vertendum iis fuisset: *consummatum* (*συντελεια*) *et decisum* (proprie *abbreviatum*) *est in iustitia*. Male autem pro substantivis participia *συντελων* et *συντεμνων* substituentes (absque dubio quod חרוץ confundebant cum חֹרֵץ), cum obiectum deesse videretur, in universum adiecerunt *λογον* (i. e. ex eorum sententia: *rem* sive *decretum iudiciale*). Inde ad idem subiectum (nempe ad deum) omnia referentes hunc fere sensum effecerunt: *decretum perficiens et abbrevians est (deus) in iustitia*. In altero hemistichio כלה ונח' eodem vocabulo reddiderunt, iterum addentes „*λογον*“; inde: *λογον συντετμημ. κτλ.* — Apostolo autem argumenti summa magis in verbis antecedentibus posita erat (*non nisi reliquiae adipiscentur salutem aeternam*); in verbis subsequentibus una cum LXX viris hanc sententiam inveniebat, haec omnia decreto dei absoluto ac iusto brevi tempore ad finem perductum iri. Quae sententia cum certe extremis prophetae verbis insit, negari non potest, apostolum versionis Alex. verba allegantem non minus prophetae satisfecisse.

## Locus XL.

a) Rom. 10, 5 cf. Lev. 18, 5.

*Μωϋσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ [τοῦ] νόμου ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ* (Tischend. ed. VII *αὐτοῖς*).

**VV. LL.** *του* ante *νομου* omitt. **אB**; itaque certe uncis inclusimus, praesertim cum de lectione codicis **A**, qui e versu sexto *εκ πιστεως* substituit, iudicari non possit. — *οτι* post *γραφει* ponunt **א** (sed **א**[c] post *νομου*) **AD*** 17* 47. 67** *vulg*. Dam. Ruf. al., verba *την δικαιοσ.* usque ad *νομου* allegationis partem habentes. Iidem excepto cod. 17 ut vidtr. (sed accedunt **E** 6. 9.) sibi constantes omittunt *αυτα*. Inde Griesbach omissionem commendat., Lachm. *αυτα*

uncis inclusit ut suspectum (vide infra). — **FG** *f g syr., ar. Erp.*, Hil. omitt. *ανθρωπος* (omnes sine dubio de loco parallelo Gal. 3, 12 cogitantes). Denique iterum sibi constantes pro *εν αυτοις* praebent *εν αυτη* (sc. *δικαιοσ.*) ℵ (ℵ^c *αυτοις*) **A** 17. 47. Dam. Ruf.; huc accedunt, quod maximi momenti est, etiam **B** 80. *d*** et *d**** *e vulg. copt.* (quae verss. sane praeter *vg* antea pro *αυτα* praebebant „eam") *arm. venet.* alii. Inde lectionem *αυτη* Griesb. commendat, Lachm. recepit.

Quam testium discrepantiam ita iudicandam existimo. Ut ab extremo faciamus initium lectio *εν αυτη* propter codicum ℵ**AB** consensum longe praeferenda erit lectioni cod. **D** etc. Paulus enim primum cum LXX scripserat *αυτα*, hoc vocabulum in universum referens ad omnia, quae in lege scripta sunt. At sub finem *εν αυτη* adiecerat, magis de iustitia legis cogitans, quae initio versiculi premitur, quam de praeceptis eius. Librarii autem in constructionis inconcinnitate offendentes tenebant quidem „*εν αυτη*", at reliqua verba huic voci extremae magis consona reddere coeperant. Inde ℵ**AD** ordinem vocis *οτι* mutabant, *αυτα* (quod sane facile quis e loco Lev. 18, 5 sive Gal. 3, 12 illatum dicat; sed vide infra) omittebant. Alii, fortasse LXX virorum vel loci Gal. 3, 12 rationem habentes, verborum ordinem retinuerunt, at sub finem pro *αυτη* substituerunt *αυτοις*. Alias et ordo et lectiones codicis **D** explicari non possunt. Imo utramque lectionem auctor textus illius in exemplaribus suis inveniebat, alteram fortasse margini adscriptam; mutatum verborum ordinem recepit, at parum sibi constans lectionem *αυτη*, quae mutati ordinis causa fuerat, reprobavit. Ex his omnibus codici **B** hoc loco palma videtur tribuenda, quippe qui non solum difficiliorem praebeat lectionem, verum etiam eam, unde reliquorum discrepantia facili negotio explicetur. Huc accedit, quod *γραφειν* nusquam absolute positum legitur sensu latiore *in scriptis dicere vel proferre;* sed propriam notionem tenet *scribendi* vel *pingendi literas* (cf. 2 Thess. 3, 17. Rom. 15, 15). Contra *γραφειν τι* praeter locum nostrum etiam Joh. 1, 46 notionem tenet *designandi, describendi.* Inde verba *γραφει την δικ.* videntur coniungenda. Ceterum ordo verborum: *οτι την δικ. την εκ τ. νομ. ο ποιησ. ανθρ.* non solum a Pauli sed a cuiuslibet scriptoris

ratione dicendi abhorret. Denique minus verisimile mihi videtur, *αυτα* e LXX repetitum esse, cum Paulus *αυτα* etiam Gal. 3, 12 (sec. testes omnes) praeter contextum suum retinuerit[1]).

**LXX.** *ἃ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς.*

Ita ad verbum reddiderunt hebraica אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֹתָם הָאָדָם וָחַי בָּהֶם. Fieri non potuit, quin librarii in miro hebraismo *α ποιησας αυτα* offenderent (at cf. Ps. 10, 7: *ου αρας το στομα αυτου γεμει*); inde *ὁ* pro *ἃ* praebent codd. sedecim minusc. Holm., ed. Complut. Contra retenta voce *ἃ* omittunt *αυτα* **AB** (sed ed. Rom. *αυτα* praebet) **XI** 55. — Apostolus igitur in his a versione recedit, quod et ipse pronomini *ἃ* substituit *ὁ* (nisi forte codicum illorum lectio *ὁ* iam in antiquissimis exemplaribus exstitit) et pro *αυτοις* sub finem praebet *αυτη*.

b) Gal. 3, 12 cf. Lev. 18, 5.

Eadem verba Gal. 3, 12 ita leguntur: *ὁ ποιήσας αὐτὰ ζήσεται ἐν αὐτοῖς.* **D***EKL** al. plerique, *vulg.* (ed. sixt.) Theodrt. al. post *αυτα* addunt *ανθρωπος* (e loco parallelo Rom. 10, 5 sive e Levitico) contra **ℵABCD*FG** 17. 67** *ital.*, *vulg.* (etiam cod. *amiat.* et *fuld.*) etc. Paulus igitur etiam hoc loco *αυτα* e LXX viris recepit, quanquam quo „*αυτα*" referatur in antecedentibus prorsus deest; vocem *ανθρωπος* autem contra textum hebr. omisit.

## Locus XLI.

Rom. 10, 19 cf. Deut. 32, 21.

*Πρῶτος Μωϋσῆς λέγει Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ᾽ οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς.*

---

1) Meyer in iudicanda illa lectionum varietate codicum **ℵAB** consensum paene nihili faciens *αυτη* ex *αυτοις* sensus explicandi causa mutatum et eundem in finem *αυτα* omissum esse (mutato simul verborum ordine) affirmat. At nonne multo melius lectio *αυτοις* ad sensum verborum quadrat? Equidem non video, cur scribae textum mutaverint, si lectionem *αυτοις* in exemplaribus suis invenissent. Temere etiam de Wette (in comment. ad h. l.) Lachmanni lectionem convincit.

**VV. LL.** Pro *υμας* cod. **C** praebet *αυτους* (certe priore loco; alter rescriptus est). Item ℵ^c bis: *αυτους* (vide LXX).

**LXX.** *κἀγὼ παραζηλώσω αὐτοὺς ἐπ᾽ οὐκ ἔθνει, ἐπὶ* [ita *ed. Rom.*, cod. **B** ex edit. Ang. Maii *ἐπ᾽*] *ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ αὐτούς.*

**VV. LL.** nullius momenti; quos enim patrum locos Holm. affert omittentes *και*, *υμας* praebentes pro *αυτους*, omnes e Pauli auctoritate pendent. — Apostolus autem cum Mosen Judaeos ipsos alloquentem faciat, orationem reddit alacriorem.

Hebraicis וַאֲנִי אַקְנִיאֵם בְּלֹא־עָם בְּגוֹי נָבָל אַכְעִיסֵם versio Alex. bene respondet. Zelotypos autem deus e sententia poëtae Israelitas reddit, quod gentium peregrinarum calumnias et iniurias admittit. Apostolus eadem verba de vocatione gentium accipiens, qua Judaei ad zelotypiam excitentur, inprimis notione verborum „*ουκ εθνος*" (i. e. *qui adhuc non erat populus dei*) et „*ασυνετος*" *(qui dei adhuc nescius erat)* niti videtur.

## Locus XLIII.

Rom. 10, 20 cf. Jes. 65, 1.

*Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν.*

Lachm. post *ευρεθην* in uncis addit *εν* cum **BD*FG** *f g* verss. *sahid. goth.*, Ambrostr. Item *εν* post *εγενομην* cum **BD*** Ruf *(d e* Ambrostr.: *inventus sum inter eos)*. Contra *εν* omittunt ℵ**ACD**** et *****EL** al. ut videtur omnes, *d e vulg., copt., syr.* utraque, Clem. Chrys. Theodrt. Hil. etc. Denique *d e* Hil. Ambrstr. priore loco praebent *εμφαν. εγεν.*, altero *ευρεθην*. Quae inversio absque dubio e LXX viris illata est.

**LXX** *edit. Rom.: ἐμφανὴς ἐγενήθην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν, εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν.*

**VV. LL.** *εγενομην* ut Paulus scribunt ℵ**A** et tredecim codd. minusc. Holm. — Vides igitur Paulum hoc loco lectionem anti-

quissimam a codice **B** diversam secutum esse. — Ordinem verborum: *ευρεθ. τοις εμε μη επερ., εμφ. εγεν. τοις εμε μη ζητ.* praebent codd. tres minusc. Holm.; contra ordinem *εμφαν. εγεν. τοις εμε μη ζητουσιν, ευρεθ. τοις εμε μη επερωτ.* **ℵAXII** codd. tredecim minusc. Holm., ed. Complut., Aldina, Cyr. Alex. — Inde apparet, verborum ordinem quem Paulus sequitur apud neminem exstare in versione Alex. Magis autem apostoli allegatio ad codicis **B** lectionem, cuius hemistichia simpliciter invertuntur, accedit, cum **ℵAXII** etiam singula verba misceant. Ceterum codicis **B** lectio etiam textus hebr. ordine commendatur. At docet codicum **ℵAXII** consensus, alteram quoque lectionem antiquissimam esse.

**Hebr.** נִדְרַשְׁתִּי לְלוֹא שָׁאָלוּ נִמְצֵאתִי לְלֹא בִקְשֻׁנִי; quae verba accuratius vertenda erant: *explorari me passus sum ab iis, qui non interrogabant (de me), inveniri me passus sum ab iis, qui non quaerebant me.* Qua in re sane hoc monendum est, propriam coniug. Niphal notionem graece accurate reddi non posse. Etiam haec verba, quae e Jesaiae sententia Judaeos ipsos respiciunt[1]), apostolus ad paganos refert (cf. v. 21: *de Israel autem dicit*), quam interpretationem singula versionis Alex. verba ex parte commendabant.

### Locus XLIII.

Rom. 10, 21 cf. Jes. 65, 2.

*Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει· Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα.*

**VV. LL.** **DE** praebent *επι λαον* (cod. 76 adeo *εις λαον*). Verba *και αντιλεγοντα* (**D*E** *λεγοντα*) omittunt **FG** *f g* Hil., fortasse quod etiam in textu hebraico deerant.

**LXX.** *ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου ὅλην τὴν ἡμέραν πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα.*

---

1) Ita interpretes recentiores omnes; cf. inpr. quae Delitzsch, *Jes.* p. 622 firmissimis argumentis contra sententiam Vitringae (prophetam de gentilibus verba facere) disputat.

**VV. LL.** *διεπετασα* codd. tres minusc. Holm. — *επι λαον* codd. decem minusc. praebent (inde lectio codicum **DE** in N. T.), at **אAB** etc.: *προς λαον*. Bene autem respondent LXX hebraicis פֵּרַשְׂתִּי יָדַי כָּל־הַיּוֹם אֶל־עַם סוֹרֵר, nisi quod sub finem e suis addiderunt *και αντιλεγοντα*, quod additamentum ad locos eos referendum videtur, ubi סורר cum וּמֹרֶה coniunctum legitur; cf. Deut. 21, 18. 20. Jer. 5, 23. Ps. 78, 8. — Paulus igitur non nisi eo a versione recedit, quod verborum ordinem leviter mutavit. Praemittens autem verba „*ολην την ημεραν*" dei patientiam iterum iterumque animos pertinaces allicientem magis premit, quam per versionis Alex. ordinem fieri poterat.

## Locus XLIV.

Rom. 11, 3 sq. cf. 1 Reg. 19, 10. 18.

*Ἢ οὐκ οἴδατε ἐν Ἡλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή, ὡς ἐντυγχάνει τῷ θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ;*

v. 3. *Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος καὶ ζητοῦσιν τὴν ψυχήν μου.*

v. 4. *ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; Κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ.*

**VV. LL.** Textus receptus ante *τα θυσιαστ.* addit *και* cum **DEL** al. longe plurimis contra codices **אABCFG** al. novem, 17. 47. al. *d e f g vulg. copt.* Eus. Chrys. al. Cum LXX *και* praebeant, at inverso membrorum ordine, *και* illud in codicibus **DEL** etc. additum mere nexui videtur inservire. — Pro *τη Βααλ* codd. **FG** malunt *τω Βααλ* (**F** *το Β.*). At codicum **אABCDE** al. consensus docet, illud *τω* sive e versione Alex. sive e coniectura illatum esse.

**LXX** 1 Reg. 19, 10: *τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν καὶ τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν ἐν ῥομφαίᾳ καὶ ὑπολέλειμμαι ἐγὼ μονώτατος καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου λαβεῖν αὐτήν.*

v. 18. *Καὶ καταλείψεις ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὤκλασαν γόνυ τῷ Βάαλ κτλ.*

**VV. LL.** *και* ante *τους* om. solus **A.** — Pro *υπολελειμμαι* aoristum praebent (ut Paulus) codd. 4 Holm. — *μου την ψυχην* cod. **B** habet ex edit. Angeli Maii. — *κατελιπον* (ut Paulus) cod. 246 (Vaticanus saec. XIII); *καταλειψω* codd. 19. 93. 108 (iidem qui supra aoristum cum Paulo praebebant); *καταλειψω μοι* (cf. Rom. 11, 4 *εμαυτω*) ed. armen., *vulg. (derelinquam mihi)*, edit. Complut. — *εκαμψαν* (ut Paulus) pro *ωκλασαν* codd. septem minusc. Holm. praebent, praeterea edit. Complut. et Aldina. Cod. 246 (qui supra cum Paulo *κατελιπον*): *εκλιναν*. — *γονυ* omittunt (absque dubio incuria, sed cf. textum·hebr.) codd. **A** et 44 Holm. — Denique *τη Βααλ* (ut Paulus) scribunt codd. quindecim minusc. Holm. Sed cum ex eorum numero, si fides haberi potest Holmesio, non nisi duo sibi constantes sub finem versus praebeant *προσεκυνησεν αυτη* (reliqui omnes *αυτω*), vehementer dubitari potest, an femininum (*τη*) ad normam aliorum locorum (vide infra) in codices illos irrepserit. — Vides igitur, variis versionis Alexandr. lectionibus non inesse, unde textus apostolici discrepantia explicetur. Quaecunque in versu tertio a LXX virorum textu recedunt, facile ad liberam allegandi rationem referri possunt.

Ita initio apostolus addit *κυριε*, cum obiectum allocutionis praeterea defuisset, membra duo priora omisso *και* invertit, *εν ρομφαια* ut superfluum omisit, verbis *και υπολελ. εγω μονωτατος* simpliciter substituit *καγω υπελ. μονος;* sub finem iterum omisit *λαβειν αυτην*. Ceterum bene respondet versio Alex. hebraicis אֶת־מִזְבְּחֹתֶיךָ הָרָסוּ וְאֶת־נְבִיאֶיךָ הָרְגוּ בֶחָרֶב וָאִוָּתֵר אֲנִי לְבַדִּי וַיְבַקְשׁוּ אֶת־נַפְשִׁי לְקַחְתָּהּ. Aliter res se habet in versu quarto. Textus apostoli is est, ut iure cum Bleekio al. dubitare possis, utrum verba hebraica potius, an LXX viros secutus sit. LXX enim falso reddunt *καταλειψεις*[1]), Paulus cum textu hebraico primam personam praebet. At singulorum verborum ratione diligenter habita facile nobis persuadebimus, de textus hebraici usu cogitari non posse. Nam praeter formam *καταλειψεις* LXX viri omni ex parte consentiunt cum verbis hebraicis, Paulus autem non

1) De varia lectione (הִשְׁאַרְתָּ) vix cogitari potest, imo secundam personam LXX substituerunt, quod eadem septies in oratione dei ad **Eliam** praecedebat.

leviter ab utroque textu recedit. Hebraica enim haec sunt וְהִשְׁאַרְתִּי בְיִשְׂרָאֵל שִׁבְעַת אֲלָפִים כָּל־הַבִּרְכַּיִם אֲשֶׁר לֹא־כָרְעוּ לַבַּעַל. Paulum iterum memoriter allegantem singula mutasse, iam hanc ob causam verisimillimum est, quod modo versum alium eiusdem capitis secundum versionem Alex. laudaverat. Ceterum in versu nostro non verba sed sensum libere reddit; quantopere autem vel liberrime allegans e versione Alex. pendeat, forma *τη Βααλ* (de generis mutati causis vide Meyer. ad h. l.) ostendit; quae cum in prophetarum versione (cf. Hos. 2, 8. Zeph. 1, 4; ubique apud Jeremiam, at non loco nostro) non raro legatur, apostoli memoriae tanquam magis infixa erat, quam illa *τω Βααλ*. — Non minus forma *κατελιπον*, quae textus hebr. usum indicare videbatur, e libera allegandi ratione explicanda erit. Primum enim accuratius vertendum erat *καταλειψω*, ut versio Vulg. (vide supra) et edit. Compl. re vera praebent, deinde mutatio inde videtur orta esse, quod ubicunque de reliquiis populi deo sacris verba fiunt (cf. Jes. 6, 13. Ezech. 5, 5 sq. al.) eaedem voluntate dei superstites dicuntur, non hominum. Cuius doctrinae memor apostolus etiam nostro loco falsam LXX virorum versionem non curat, sed ex usitata prophetarum dicendi ratione deum ipsum parvae Israelitarum parti parcentem facit.

## Locus XLV.

Rom. 11, 9—10 cf. Ps. 69, 23 sq.

*Καὶ Δαυεὶδ λέγει Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς· σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύνκαμψον.*

**LXX.** *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον· σκοτισθ. κτλ.* (v. 24 plane cum apostolo consentit).

Verba *ενωπιον αυτων* (cum Paulo) omittunt codd. 21. 183. 286 (280: *ενωπ. αυτου*). Cod. 55 (peioris notae) pro *ανταποδ.* praebet *θηραν*

et sub finem addit *και εις ανταποδομα αυτοις* (utrumque e novo test.). — Praeterea solus cod. 274 habet *ανταποδομα*.

Apostolus igitur leviter tantum a versione recedit, verba *και εις θηραν* addens, ordinem sub finem invertens. Denique *ανταποδομα* pro *ανταποδοσιν* praebet. Utrumque praeterea in novo test. (cf. Col. 3, 24. Luc. 14, 12) legitur. Verba *και εις θηραν* absque dubio e loco Psalm. 35, 8 memoriter illata sunt, ubi *παγις* et *θηρα* coniuncta leguntur.

Minus accurate LXX viri reddiderunt hebraica יְהִי־שֻׁלְחָנָם לִפְנֵיהֶם לְפָח וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ : תֶּחְשַׁכְנָה עֵינֵיהֶם מֵרְאוֹת וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד h. e. *fiat mensa eorum coram ipsis tendicula et securis (pace fruentibus) laqueus. Obumbrentur eorum oculi, ut videre nequeant et lumbos eorum semper vacillantes redde.* Legebant igitur לְשִׁלּוּמִים h. e. *in retributionem* (cf. et. Symm.: *γενοιτο η τραπ. — εις παγιδα και εις τιμωριαν κτλ.*). Vocem מוקש fere semper minus accurate reddunt *σκανδαλον* (alias etiam *παγις* et *σκωλον*); at prorsus aberrant in vertendis verbis extremis. מתנים praeter locum nostrum non nisi semel in psalmis legitur (66, 11); utroque loco interpres Alexandr. vocem *νωτος* praebet. Apostolus etiam hac in re versionem Alexandr. simpliciter recepit.

## Locus XLVI.

a) Rom. 11, 34 cf. Jes. 40, 13.

*Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο;*

Cod. **D*** (et *d**) pro *κυριου* praebet *θεου* contra reliquos omnes.

**LXX.** *Τίς ἔγνω νοῦν κυρίου καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος* (al. *σύμβ. αὐτοῦ*) *ἐγένετο, ὃς συμβιβᾷ* (al. *συμβιβάσει*) *αὐτόν.*

Pro *και τις* codd. tres minusc. et edit. Complut. cum Paulo praebent *η τις;* ordinem *συμβουλος αυτου* servant **A XII** 41, quorum lectionem etiam in verbis extremis Paulus sequitur (vide infra). Textus hexaplaris sane cum verbis supra exscriptis plane consentit. — Apostolus igitur, cum verborum *αυτου συμβ.* inversio aperte testium antiquissimorum auctoritate nitatur, non nisi eo recedit a versione Alex., quod pro *και τις* praebet *η τις* et verba extrema omittit.

Verba hebraica מִי־תִכֵּן אֶת־רוּחַ יהוה וְאִישׁ עֲצָתוֹ יוֹדִיעֶנּוּ proprie vertenda erant: *quis examinavit spiritum Jehovae et (quis) consiliarius eius (erat) qui doceret eum.* Etiamsi תכן cum Vitringa potius ad radicem תקן referendum est, h. e. *ad normam suam direxit* (ita Syrus, Targumista, Saadia, e recentioribus Ewald *(berechnen)*, Knob. *(richten)* Hitz. *(abschätzen)* Del. *(regeln)*, tamen LXX virorum versio, quae magis in universum prophetae sententiam reddit, non nisi leviter sensum mutat. Quod ad alterius hemistichii interpretationem attinet, non est, cur cum Gesen. Knob. Hitz. post עצתו suppleamus אשר, imo verba ואיש עצתו appositionis loco accipienda sunt (cf. Del., *Jes.* p. 396: *„wer als sein Rathsmann unterwies ihn"*). LXX viri addentes *ἐγένετο* et *ὅς* strictam prophetae orationem planiorem reddiderunt.

**b)** 1 Cor. 2, 16 cf. Jes. 40, 13.

*Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν;*

E codicibus LXX virorum *συμβιβασει* praebent (contra **אB**; vide supra locum **a**) **AXII** (ad marg.) et codd. 16 minusc. Holm. (inter quos 109. 302. 305: *συμβ. αυτω*). Praeterea etiam lectionem cod. **א** corrector C[a] mutaverat in *συμβιβασι*, sed *σι* rursus erasum est. Apostolum autem non fortuito codicum **AXII** etc. lectionem secutum esse, ex eiusdem loci allegatione Rom. 11, 34 apparet, ubi Paulus cum **AXII** mutatum verborum ordinem (*συμβουλος αυτου*) praebebat. Nostro autem in loco apostolus media verba omisit, extrema, quae illic omittuntur, adiecit. De reliquis vide locum antecedentem.

## Locus XLVII.

Rom. 13, 9[a] cf. Exod. 20, 13 (Deut. 5, 17).

*Τὸ γὰρ Οὐ μοιχεύσεις, οὐ φονεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐκ ἐπιθυμήσεις.. (ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ ἀνακεφαλαιοῦται κτλ.)*

**VV. LL.** Post *κλεψεις* textus rec. addit *ου ψευδομαρτυρησεις* cum **א** minusc. permultis, *vulg.* (at non *amiat. fuld. tolet.* al.) *syr. post.*,

*copt.* al. Chrys. Oecum. Ruf. (qui simul varie verba transponunt); omittunt autem *ου ψευδομ.* **ABDEFGL** 1. 2. 17. 47 novem al. (Wetsten.), *itala*, *vulgatae* codd. praestantissimi (vide supra), *syr. sahid.*, e patribus Clem. Orig. Cyr. Theodrt. Basil. al. multi. Inde dubitari non poterit, quin verba illa textus supplendi causa e decalogo addita vel in cod. ℵ irrepserint. Reliqua nullius momenti.

**LXX.** Exod. 20, 13 secund. cod. **B** (ex edit. Angeli Maii): *οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ φονεύσεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις... οὐκ ἐπιθυμήσεις* (*τὴν γυναῖκα κτλ.*).

Qui hac in re cum cod. **B** faciunt, non afferuntur apud Holmesium. Ordinem textus hebraici (*ου φον. ου μοιχ. ου κλεψεις*) praebent. **AVIIX** codd. minusc. viginti septem, ed. Complut. et Aldina, e patribus Cat. Nic., Clem. Alex., Theophyl., Tert., August., Hier. al., verss. *vulg. copt. arab. utraque*, *slavon.* — Cyrillus Alex. partim cum cod. **A**, partim cum **B** facit.

Deut. 5, 17 cod. **B**: *οὐ μοιχεύσεις, οὐ φονεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομ.* (ed. Rom.: *ου φονευσεις, ου μοιχ., ου κλεψεις*). Eundem ordinem praebent cod. **XI*** et decem minusc., verss. *aethiop.* et *armen.* At cod. **A** al. longe plerique iterum habent *ου φονευσεις, ου μοιχ., ου κλεψεις.*

Quaenam testium singulorum ratio sit, assumtis etiam reliquis novi test. locis parallelis, haec tabula demonstrabit. Singula autem praecepta eo notavimus numero, quem in decalogo nostro (secund. ordinem textus hebraici) tenent.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. LXX Exod. 20, 13. | cod. **B**: | VI VII V. | cod. **A**: V VI VII. |
| 2. LXX Deut. 5, 17. | cod. **B**: | VI V VII. | cod. **A**: V VI VII. |
| 3. Matth. 5, 21 et 27. | | V VI. | |
| 4. Matth. 19, 18. | | V VI VII. | |
| 5. Marc. 10, 19. Luc. 18, 20. Rom. 13, 9. | | VI V VII. | |
| 6. Jac. 2, 11. | | VI V. | |

Vides igitur, codicem **A** utroque veteris test. loco textum hebr. secutum esse, cod. **B** varie ordinem disposuisse. Ordinem prae-

ceptorum, quem Marcus Lucas Paulus Jacobus sequuntur, e versione Alex. fluxisse (cf. Deut. 5, 17 cod. **B**), praeter Meyerum etiam Zuelligium fugit, qui in dissertatione insigni (*für die calvinische Eintheilung des Decalogs; Stud. u. Krit.* 1837. 1. p. 104) praecepta singula per *συναθροισμον* a Paulo Marco Luca allata dicit. Loco autem 1 Tim. 1, 9 sq. rectam decalogi distributionem inesse, idem confidentius quam verius statuisse nobis videtur[1]). In novo test. solus Matthaeus cum textu hebraico facit[2]). Illum autem ordinem, quem Marcus Lucas Paulus praebent, apostolorum aetate in versionis Alex. codicibus usitatum fuisse, testis est Philo (*De decalogo*, tom. II p. 201 sq. al.), qui praeceptum *ου μοιχευσεις* secundae partis decalogi primum, illa *ου φον.*, *ου κλεψεις* secundum tertium expresse dicit. Philo autem linguae hebraicae minime gnarus non ad textus hebraici sed ad versionis Alex. ordinem ubique provocat[3]).

Paulus igitur etiam hoc loco versionis Alex. recensionem eam, quae nobis in cod. **B** exstat, secutus est. Minime autem audiendus est Meyer, qui ordinem apud Paulum Lucam Jacobum inventum e versione Alex. fluxisse omnino negat. Ut hoc omittamus, Meyerum lectiones codicum minus accurate afferre, iniuria ad Philonis testimonium provocat, quo comprobetur, mutatum hunc ordinem ad disceptationes referendum esse de praecepti *ου μοιχ.* auctoritate primaria exortas. At Philo nullo modo in eiusmodi disceptationes incidisset, nisi ordinem illum in codicibus suis invenisset ac primarium Mosis habuisset neutiquam derelinquendum.

## Locus XLVIII.

Rom. 15, 12 cf. Jes. 11, 10.

*Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ καὶ ὁ ἀνιστάμενος (א ἀνιστανόμενος) ἄρχειν ἐθνῶν, ἐπ᾽ αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν.*

1) Cf. etiam Sonntag, *Ueber die Eintheilung des Decalogs, Stud. u. Krit.* 1837. 2. p. 285.

2) Cf. Anger, *Ratio, qua loci vet. test. in evangelio Matthaei laudantur* etc. part. I p. 19.

3) Cf. Eichhorn, *Einleitung in das A. T.*, tom. I p. 336.

**LXX.** *καὶ ἔσται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ καὶ κτλ.* (reliqua plane conveniunt; variae lectt. nullius momenti).

Paulus igitur accurate versionem secutus est, nisi quod initio *και*, post *εσται* verba „*εν τη ημερα εκ.*“ ut ab argumento suo aliena omisit. Ipsi autem LXX non leviter recedunt a verbis hebraicis: וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא שֹׁרֶשׁ יִשַׁי אֲשֶׁר עֹמֵד לְנֵס עַמִּים אֵלָיו גּוֹיִם יִדְרֹשׁוּ h. e. *et fiet illo die, quod attinet ad germen Isai, quod stat vexillum populis, gentes id quaerent.* LXX viri שרש (i. e. *germen radicis*) ut Jes. 53, 2 etiam hoc loco simpliciter voce *ῥιζα* reddiderunt (inde *ῥιζα Δαυειδ* Apoc. 5, 5. 22, 16 al.). Verborum autem nexum non satis accurate perspicientes hunc sensum prophetae substituerunt: *erit illo die radix Isai et surgens (erit) qui dominetur in gentes — in eo gentes fiduciam ponent.* Itaque secundum versionem eorum non de uno sed de duobus subiectis sermo esse videtur. Vocem נס aliaș verbis *σημειον* vel *συσσημον* reddunt; loco nostro latiorem sensum substituerunt, absque dubio quod vexilli notio ad Messiae dignitatem minus quadrare videbatur. Eadem de causa, nempe suam de Messia sententiam inferentes, sub finem pro „*quaerent*“ substituerunt: *ελπιουσιν.* — Apostolo summa argumenti non nisi in voce *εθνη* posita erat; quae cum etiam e prophetae sententia paganos denotaret, certe hac ex parte versio Alex. textui hebraico satis respondebat. Paulum autem ad versionem provocare maluisse quam ad textum hebraicum, eo magis notandum est, quod accuratior verborum interpretatio melius etiam ad comprobandam eius sententiam (de vocatione gentium prolatam) quadrasset. Propheta enim vexilli imagine usus non solum ducem gentium Messiam dixerat, verum etiam confugium, quod diligenter appetiturae essent.

## Locus XLIX.

1 Cor. 1, 19 cf. Jes. 29, 14.

*Γέγραπται γάρ Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω.*

**LXX** ante *απολω* praemittunt *και*, pro *αθετησω* habent *κρυψω*

(*αθετησω* solus cod. 301 Holm., aeque ac patres nonnulli e Pauli auctoritate pendens).

Cur Paulus versionem praeterea accurate secutus extremum verbum mutaverit, non difficile est dictu. Primum enim *αθετησω* commodiorem efficiebat parallelismum (cf. antea *απολω*), cum *κρυψω* a nexu verborum magis alienum esset, deinde eodem vocabulo (*αθετειν*) LXX viri in locis argumenti simillimi usi erant; cf. inpr. Ps. 33, 10: *αθετει δε λογισμους λαων και αθετει βουλας αρχοντων.* De quibus apostolus memoriter locum allegans cogitasse nobis videtur.

Verba hebraica וְאָבְדָה חָכְמַת חֲכָמָיו וּבִינַת נְבֹנָיו תִּסְתַּתָּר accuratius vertenda erant: *et peribit sapientia sapientium eius* (sc. populi Israel) *et prudentia prudentium eius delitescet.* LXX igitur totam orationem ad deum referentes tertiae personae primam substituerunt, quam mutationem etiam Paulus e versione recepit.

### Locus L.

a) 1 Cor. 1, 31 cf. Jer. 9, 23 sq.

*Ἵνα καθὼς γέγραπται Ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω.*

**LXX.** *ἀλλ᾽ ἢ ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος συνιεῖν καὶ γινώσκειν ὅτι ἐγώ εἰμι κύριος κτλ.*

Paulus igitur, ut cum Sürenhusio loquamur, tot verba ex propheta decerpsit, quot ad probandum praeceptum illud erant necessaria. Eadem ratione apostolus Rom. 15, 3. 1 Cor. 2, 9 scripturae verba ad vim orationis augendam suis inserit. Allegandi formula enim (*καθ. γεγρ.*) magis parentheseos loco habenda est.

b) 2 Cor. 10, 17 cf. Jer. 9, 23.

Eadem verba (omissa allegandi formula) Paulus etiam 2 Cor. 10, 17 orationi suae inseruit hunc in modum: *ὁ δὲ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω.* Inde apparet, breviorem hanc edicti formam apostolo usitatam fuisse.

### Locus LI.

1 Cor. 3, 20 cf. Psalm. 94, 11.

*Καὶ πάλιν* (sc. *γέγραπται·* cf. v. 19.) *Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, ὅτι εἰσὶν μάταιοι.*

Codd. 17. 39. 46 al. quinque, *amiat.* al., Marcion apud Epiphan., Chrysost. Euth. Hier. pro *σοφων* praebent *ανθρωπων* (vide LXX).

**LXX** pro *σοφῶν* praebent *ἀνθρώπων*. Cum in codicum **אAB** consensu de varia lectione cogitari non possit, apostolus vocem *σοφων* (quae a loci illius contextu minime abhorret) ad maiorem rei elucidationem libere substituit. Ceterum verba hebraica יהוה יֹדֵעַ מַחְשְׁבוֹת אָדָם כִּי־הֵמָּה הָבֶל versioni Alexandrinae bene respondent; vocem הבל etiam alias (cf. Ps. 62, 10) relicta imagine reddunt „*ματαιος*".

### Locus LII.

1 Cor. 5, 13 cf. Deut. 17, 7. 12. 19, 19. 21, 21 al.

*Ἐξάρατε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν.*

**VV. LL.** Textus receptus praebet *και εξαρειτε* cum **D***EL** al. plerisque contra **אABCD*FG** al. permultos, *ital. vulg. copt. goth.* al. Inde minime dubium est, quin lectio *και εξαρειτε* e LXX viris illata sit. Pro *τον πον.* codd. pauci, Theodrt. Theoph. (ad marg.) praebent *το πον.* At cf. August.: nec ait *το πον.* i. e. *hoc malignum* sed *τον πον.* quod est *hunc malignum.*

**LXX** octies eadem verba in Deuteronomio praebent; quinquies (17, 7. 21, 21. 22, 21. 22, 24. 24, 7) hunc in modum: *καὶ ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν;* semel (13, 5): *καὶ ἀφανιεῖς τὸ πονηρὸν ἐξ ὑμ. αὐτ.;* bis (17, 12. 22, 22): *καὶ ἐξαρεῖς τὸν πονηρὸν ἐξ Ἰσραήλ;* denique semel (19, 19): *καὶ ἐξαρεῖς τὸ πονηρὸν* (cod. **A**: *και εξαρειτε τον πονηρον κτλ.*) *ἐξ ὑμῶν αὐτῶν.* — In loco Deut. 17, 7 praeter cod. **B** *και εξαρεις* etiam cod. celeberrimus Sarravianus praebet et *vulg.* (editio). Contra *εξαρειτε* **AVIIXXI** codd. viginti quinque Holm., verss. (vide infra).

Propter hanc testium praestantiorum multitudinem de emendatione ex novo test. nullo modo cogitari potest, imo lectio *και εξαρειτε* antiquissima habenda est. Teste Montefalconio iam in hexaplis ad locum Deut. 24, 7 adnotatum erat: LXX *και εξαρεις· Ἀλλ. και εξαρειτε.* Utraque igitur lectio perantiqua est; at codici **B** et Sarraviano praeter textum hebraicum etiam versiones antiquissimae e LXX viris repetitae favent. Teste enim Holm. lectionem *και εξαρειτε* non nisi verss. *arab.* prior et tertia, *slav. ostrog., georg.* sequuntur, quae lectio fortasse inde orta erat, quod *εξαρεις* male respondere videbatur sequenti plurali numero *εξ υμων αυτων.*

**Hebr.** וּבִעַרְתָּ הָרַע מִקִּרְבֶּךָ. Paene omnibus in locis supra enumeratis (praesertim cum eadem formula toties repetatur) הרע neutrius loco accipiendum est (ergo *το πονηρον*). At cum Moses certe Deut. 17, 7 et 24, 7 antea praecepisset, ut lapidibus interficerent virum idololatriae sive hominum nundinationis reum, LXX viri etiam alias הרע ad homines illos nefarios referre maluerunt (inde *τον πονηρ.*)[1]). Paulus autem cum iudicium faceret de homine incesti reo, egregie secundum LXX viros Mosis edicto illo usus est.

## Locus LIII.

a) 1 Cor. 9, 9 cf. Deut. 25, 4.

*Ἐν γὰρ τῷ Μωϋσέως νόμῳ γέγραπται Οὐ κημώσεις βοῦν ἀλοῶντα.*

**VV. LL.** *κημωσεις* (cui voci secund. Hesych. eadem notio est *obturandi os capistro*) scripsimus cum **BDFG** Chrys. (in comment.) Theodrt. al. — Textus receptus praebet *φιμωσεις* cum **ℵAB**CD**** et *****EKL** al. ut videtur omnibus, Orig. Cyr. Chrys. Theodrt. (ad hunc l.) al. At cum nemo apud LXX *κημωσεις* praebeat, apostolus autem ipse in loco parallelo 1 Tim. 5, 18 lectionem *φιμωσεις* sequatur, minime mirum est, quod hanc lectionem (*φιμωσ.*), et ab ipso apostolo alias probatam et versioni Alex. respondentem, prima-

1) Quid quod Calvinus loci Deuteronomii nescius *τον πονηρον* apud Paulum ad diabolum potius referendum existimavit.

riam apostoli, alteram autem (*κημωσεις*) glossam explicatricem habuerunt.

**LXX.** *οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα,* quae verba hebraicis לֹא־תַחְסֹם שׁוֹר בְּדִישׁוֹ satis respondent.

b) 1 Tim. 5, 18 cf. Deut. 25, 4.

*Λέγει γὰρ ἡ γραφή Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις.*

Hunc verborum ordinem praebent **אDFGKL** al. longe plerique, *d g goth., syr. utr.,* al. Dam. Tertull. — Lachm. edidit *ου φιμωσ. βουν αλοωντα* cum **AC** al. septem *f vulg. copt. armen.* Chrys. Theodrt. al. Ut codicis **א** et versionis *syr.* auctoritatem omittamus, lectio codicum **A** etc. iterum in suspicionem cadit emendationis e versione Alex. repetitae. — *κημωσεις* hoc loco solus cod. **D** praebet (e loco 1 Cor. 9, 9).

### Locus LIV.

2 Cor. 9, 7 cf. Prov. 22, 8 (LXX).

*Ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ θεός.*

**LXX.** *ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην εὐλογεῖ* (al. *ἀγαπᾷ*) *ὁ θεός.*

**VV. LL.** *ευλογει* praebent **אAB**; *αγαπα* (ut Paulus) codd. tredecim minusc. Holmes., inter quos 149 (Vindobon.) et 297 (Vatic.) optimae notae sunt. Eadem lectio iam in hexaplis notata erat. Textus enim hexaplaris teste Montefalc. haec habebat: LXX *ευλογηθησεται* (lectio nunc deperdita, sed optime respondens hebraico יְבֹרָךְ). *Ἀλλ. ευλογει ο θεος. Ἀλλ. αγαπα ο θεος.* Ceterum textus Alex. in loco proverbiorum laudato is est, ut lectionum variatio minime mira sit. Quantum ego video, auctior LXX virorum textus ex duplici eorundem verborum interpretatione fluxit, quarum altera primum ad marginem sive supra lineas adscripta scribarum inscitia vel incuria alteri admixta erat. Quattuor enim hemistichia textus hebraici haec sunt:

v. 8: זוֹרֵעַ עַוְלָה יִקְצָר־אָוֶן וְשֵׁבֶט עֶבְרָתוֹ יִכְלֶה

v. 9: טוֹב־עַיִן הוּא יְבֹרָךְ כִּי־נָתַן מִלַּחְמוֹ לַדָּל

Quorum versio primaria apud LXX haec erat: 8ª ο σπειρων φαυλα θερισει κακα· 8ᵇ: πληγην δε εργων αυτου συντελεσει. 9ª: ανδρα ιλαρον και δοτην ευλογει ο θεος· 9ᵇ: των γαρ εαυτου αρτων εδωκε τω πτωχω. At cum hemistichia 8ᵇ et 9ª novam interpretationem requirere viderentur, quidam ad 8ᵇ hanc glossam adiecerat: ματαιοτητα δε εργων αυτου συντελεσει et ad 9ª: ο ελεων πτωχον αυτος διατραφησεται; alius autem utramque glossam falso post ο θεος textui ipsi inseruit, unde hodierna textus Alex. perturbatio orta est. Ex his simul apparet, verba ιλαρον κτλ. in textu massoretico nullo modo deesse, ut Meyer affirmat; sed tam libere redduntur, ut archetypon eorum vix agnoscas. Accuratius vertenda erant: qui vultus benevoli est, ei benedicetur.[1]) Apostolus ad versionem Alex. aperte alludit, nisi forte verba illa iamdudum in proverbium abierant (cf. Jes. Sir. 32, 11 et Rom. 12, 8: ο ελεων εν ιλαροτητι).

### Locus LV.

2 Cor. 13, 1 cf. Deut. 19, 15.

Ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα. (Solus cod. ℵ ινα επι στομ. δ. μ. η τρ. κτλ.; utrumque, ινα et η pro και, e loco parallelo Matth. 18, 16 illatum videtur; ινα corr. C delevit.)

**LXX.** ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ ἐπὶ στόματος τριῶν μαρτύρων στήσεται (ita cod. **B**; **A** cum testibus permultis σταθήσεται) πᾶν ῥῆμα.

Paulus igitur hoc loco cum codicis **A**, non **B** lectione facit; praeterea, nisi quod verba prolixiora in brevius contraxit, versionem accurate sequitur. Itaque particulam και cum LXX viris praebet, cum ἤ exspectemus[2]), vocem παν sub finem contra textum hebr. addit. Hebraica enim haec sunt: לְפִי שְׁנֵי עֵדִים אוֹ עַל־פִּי שְׁלֹשָׁה־עֵדִים יָקוּם דָּבָר

1) LXX absque dubio ita verba hebraica legerunt: טוב עין הוא יְבָרֵךְ כי נתן, הוא ad deum referentes (inde ευλογει ο θεος), נתן voce δοτης reddentes.

2) Matthaeus in loco parallelo 18, 16 particulae και substituit η.

### Locus LVI.

Gal. 3, 8 cf. Gen. 12, 3. 18, 18 al.

*Προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφή, ὅτι ἐκ πίστεως δικαιοῖ τὰ ἔθνη ὁ θεός, προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραὰμ ὅτι Ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πάντα τὰ ἔθνη.*

**FG** al. multi ευλογηθ.; sed ενευλ. praebent **ℵABCDEKL** al.

**LXX** Gen. 12, 3: *καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς.*

**VV. LL.** ενευλογ. praebent fragmm. codicis celeberrimi Cottoniani (I Holm.; ex editione Tischend. supersunt και εν... πασαι αι φυλαι) et codex Bodleianus (olim Laudianus saec. f. VI). Contra ευλογηθ. cod. **A** (sed ubique praeterea, Gen. 18, 18. 22, 18. 26, 4. 28, 14 scribit ενευλογ.) et Clem. Rom. (omisso και). Utramque lectionem servat Cyr. Alex. — Vides igitur lectionem ενευλ. cum testibus optimis praeferendam esse.

Gen. 18, 18: *καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν αὐτῷ πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς.*

Apostolus igitur memoriter allegans utrumque locum coniunxit, verba εν σοι e priore, τα εθνη ex altero depromens. Verba της γης, quae in utroque loco sub finem adduntur, apostolus omisit.

**Hebr.** Gen. 12, 3. וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה

Gen. 18, 18. וְנִבְרְכוּ־בוֹ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ

Etiamsi concedendum est, coniugationi Niphal (cui in locis Gen. 22, 18. 26, 4 al. Hithpael substituitur) proprie notionem reflexivam inesse, vehementer tamen errant, qui versionis Alex. interpretationem ferri non posse affirmant. (Ita post Kimchi et Isaaki recentiores multi, Maurer, Knobel, Gesen. al.) Bene Tuch (*Commentar über die Genesis*, p. 292 sq.) monet, propriam verborum notionem: *bene precabuntur sibi per te* h. e. *sortem tuam sibi precabuntur ac nomine tuo tanquam benedicendi formula utentur*, totius loci contextu plane excludi[1]). Versionis Alex. interpretationem *(beati*

---

1) Cf. Tuch l. l.: *Nur wo der Patriarch in seiner ganzen Wichtigkeit hervortritt als Stammvater eines grossen, gesegneten und in der Furcht des Herrn glücklichen Volkes*:

*reddentur in te)* antiquissimam esse etiam Onkelosi paraphrasis docet (*εν σοι* = בְּדִילָךְ, Gen. 22, 18 adeo בְּדִיל בְּנָךְ *propter filium tuum;* similiter etiam Targ. Jerusch.: בִּזְכוּתָךְ i. e. *merito tuo*).

### Locus LVII.

Gal. 3, 10 cf. Deut. 27, 26.

*Γέγραπται γὰρ ὅτι Ἐπικατάρατος πᾶς ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσιν τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τοῦ ποιῆσαι αὐτά.*

**VV. LL.** *εν* prius omittunt ℵ (corr. C addidit) **B** 17. 31. 37. 67** al. — Tamen *εν* cum reliquis testibus retinendum videtur; ut hoc omittamus, codices ℵ et **B** ad eundem fontem antiquissimum referri posse (cf. quae ad loc. I adnotavimus) nec non 67** plerumque cum **B** facere, omissio vocis *εν* e maiore concinnitatis studio facile explicatur; antecedit enim *εμμενει*. — Praeterea solus **B** *ενγεγραμμ.*

**LXX.** *ἐπικατάρατος πᾶς ἄνθρωπος ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου τοῦ* (ed. Rom. *του* omittit) *ποιῆσαι αὐτούς.*

**VV. LL.** *πας ανθρ.* omittunt codd. 71 et 76 (a syllaba extrema vocis *επικατ.* ad extremam vocis *ανθρ.* aberrantes). Praeterea *πας ο ανθρ.* praebent **AX** 56. — *οστις* pro *ος* **AX** codd. minusc. tredecim. — *επι* pro *εν* priore **X** (at *εν* in margine). — *εν* prius omittunt codd. tres minusc. (vide ℵ**B** in nov. test.). — *του* post *τουτου* habent **AVIIX** codd. 15 (ceterum hi omnes praeter **A** *του ποιειν*); cod. **B** *του* omittit. At codicum **A** etc. lectio eo magis praeferenda est, quod *του* facillime post *τουτου* omitti poterat. — Vides igitur in codicibus praestantissimis duplicem versus nostri formam exstare: *πας ανθρωπος ος* et *πας ο ανθρ. οστις*. Paulus etiam hoc loco codicis **B** lectionem sequitur. Universum autem locum memoriter allegans vocem *ανθρ.* ut superfluam, item *τουτου* sub finem ut a contextu suo alienum omisit. Cum autem verbis *εν πασι τοις λογοις* substituisset „*εν πασιν τοις γεγραμμ.*“, pergen-

---

*nur da erscheint der in Rede stehende Gedanke und man fühlt leicht die Inhaltslosigkeit, wenn der Sinn wäre, er solle den Völkern der Erde als Segensformel dienen.*

dum erat: *εν τω βιβλιω του νομου*[1]). Eadem de causa apostolus sub finem *αυτους* mutavit in *αυτα*.

Verbis hebraicis אָרוּר אֲשֶׁר לֹא־יָקִים אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה־הַזֹּאת לַעֲשׂוֹת אוֹתָם i. e. *maledictum sit (homini) qui non stabiliet verba legis huius ut faciat ea*, LXX viri non omni ex parte respondent. יקים enim confundentes cum יקום minus accurate reddiderunt *εμμενει*, verba *πας ανθρωπος* et paulo post *πασι* e suis adiecerunt[2]). Quae quanquam levioris sunt momenti, tamen negari non poterit, argumentum apostoli maxime verbis *πας* et *πασι* in versione Alex. additis niti. Hanc enim ob causam exsecrationi *omnes* addicit, quod nemo *omnibus* legis Mosaicae praeceptis satisfacere valeat.

### Locus LVIII.

Gal. 4, 30 cf. Gen. 21, 10.

*Ἀλλὰ τί λέγει ἡ γραφή; Ἔκβαλε τὴν παιδίσκην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσῃ (—σει?) ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης μετὰ τοῦ υἱοῦ τῆς ἐλευθέρας.*

**VV. LL.** Post *παιδισκην* cod. **A** (cum LXX) addit *ταυτην* contra **אB** etc. — *κληρονομηση* praebent **ACFGKL** al. longe plerique, Cyr. Chrys. Theodrt. Dam. Oec.; Lachm.: — *σει* cum **אBDE** 30. Theoph. Cum utraque forma in LXX virorum codicibus exstet, utra praeferenda sit difficile est dictu. Teste Winero (*Gramm.* p. 449 sq.) coniunctivi usus post *ου μη* in novo test. longe praevalet. Apud Paulum his in locis optimi testes coniunctivum praebent: Rom. 4, 8 (solus **K** indic.), 1 Cor. 8, 13 (nemine excepto), Gal. 5, 16 (**E** *vulg. ital.* indic.), 1 Thess. 4, 15 (**K** indic.), 1 Thess. 5, 3 (**DFG** indic.). Inde apparet, codicem **A** nunquam, **אB** non nisi nostro loco indica-

---

1) Cf. formulas usitatissimas: *γεγραπται εν τω νομω*, *κατα το γεγρ. εν κτλ.* (ככתוב בספר תורת מ׳) quas apostolus in mente habuisse nobis videtur. Cf. Surenhus. l. l. p. 570.

2) כל דברי etiam Pentat. Samar. et quattuor codd. hebraici apud Kennicott. (cod. 464 ad marg.) praebent. Vox *ανθρωπος* fortasse e loco Deut. 27, 15, qui exsecrationum illarum duodecim primam continet, illata est.

tivum praebere. Fortasse inde factum est, ut **ACF** etc. etiam hunc locum ad reliquorum normam emendarent. Iniuria autem de Wette, Meyer al. indicativum simpliciter ut e LXX viris repetitum reprobant. — Denique verbis *της ελευθ.* **D*E** (?) **FG** *d e g demid.* Hieron. al. substituunt (e LXX viris) *μου Ισαακ* contra **ℵABC** etc.

**LXX.** *ἔκβαλε τὴν παιδίσκην ταύτην καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς· οὐ γὰρ μὴ κληρονομήσει ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης ταύτης μετὰ τοῦ υἱοῦ μου Ἰσαάκ.*

**VV. LL.** *ταυτην* (ut Paulus) omittunt codd. 18 Holm., Cat. Nic., Theodrt. (bis) Chrys. (semel, sed ibidem etiam habet). — *μη* omittunt **IX** codd. minusc. tres. — *κληρονομηση* praebent codd. minusc. 8, Cat. Nic., Chrys. Theodrt. Aster.; tamen cum **A** et codd. minusc. longe plurimis retinendum erit *κληρονομησει*. — *ταυτης* omittit **A** et codd. 4 minusc. Codex **I** certe ... *της* etiam servat. Cum pronomen alterum (*ταυτης*), quod cod. Cottoniani auctoritate commendatur, post antecedens *ταυτην* ut superfluum facile omitti posset, prius autem in uncialibus omnibus exstet, utrumque retinendum existimavimus. Utrum apostolus testium auctoritate nisus sit an consulto utrumque ut ab argumento suo alienum omiserit, difficile est dictu. Praeterea in maiorem rei elucidationem verbis extremis (*μου Ισαακ*) substituit *της ελευθερας*. Ita enim magis perspicue sibi opponuntur ancillae filius et liberae, quos et reiectorum et electorum typos constituere apostolus sibi proposuerat. Ceterum bene respondent LXX viri hebraicis גָּרֵשׁ הָאָמָה הַזֹּאת וְאֶת־בְּנָהּ כִּי לֹא יִירַשׁ בֶּן־הָאָמָה הַזֹּאת עִם בְּנִי עִם־יִצְחָק

## Locus LIX.

Eph. 5, 31 cf. Gen. 2, 24.

*Ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα* [*τῇ γυναικὶ?*] *αὐτοῦ καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.*

**VV. LL.** *πατερα* (sine artic.) praebent **BD*FG**. — *τον πατερα:* **ℵAD***EKL** al. ut videtur omnes, Marcion (apud Epiph.) Origenes (et. in catenis) Meth. Tit. Epiph. al. Inde *τον* (et *την;* vide infra) in textum recepimus. — *αυτου* post *πατερα* addunt **ℵ^cA D***EKL** al. plerique, verss. *copt. syr.* al. Marc. (apud Epiph.) alii; at omittunt **ℵBD*FG** 67** 73. 115. *ital. syr. p. vulg. arm.* Orig. (diserte in cat. 206; vide infra) Theodrt. (loco uno) Theoph. Marc. (apud Tertull.) Cypr. Hier. (secund. Orig.). — Ut *italae* auctoritatem omittamus, codicis **ℵ** testimonium eo pluris aestimandum est, quod hac in re codicem **A** (quocum *τον* et *την* addit) relinquit et propriam lectionem praebet. — *μητερα* (sine *την*) iterum praebent **BD*FG** contra **ℵAD***EKL** etc. Etiamsi uterque articulus e LXX viris repetitus existimari potest, tamen codicum **ℵA** consensus nos adducit, ut *τον* et *την* contra **B** retineamus; *αυτου* autem post *πατερα* (nec non post *μητερα*, ubi iterum codd. pauci, at verss. multae addunt) cum **ℵB** etc. (vide supra) maxime propter disertum Origenis testimonium delendum videbatur[1]). — *προςκολληθ.* praebent **ℵAB** al. plerique; contra *κολληθ.* (cf. Matth. 19, 5) **ℵ^cD*FG** Epiph. — *προς την γυν.* scribunt **ℵ^cBD***EKL** al. fere omnes, Orig. (bis) Chrys. Theodrt. (bis) Dam. al.; Lachm. edidit *τη γυναικι* cum **ℵAD*FG** al. tribus, Method. Epiph. (ter), *ital. vulg.*, patribus lat. — Etiam difficilior quaestio nostra redditur eo, quod Origenes (et post eum Hier.; praeterea et. Marcion apud Epiph. et Tertull.) extrema verba (*και προςκολλ. προς την γυν. αυτου*) a Paulo omissa esse diserte affirmat. At licet Origenis testimonium, codices antiquissimos nostros longe praecedens, maximi pretii sit, tamen quomodo verba illa in codices praestantissimos omnes (**ℵABDEFGKL**) falso irrepserint equidem non video. Huc accedit quod *itala* versio, Origenis tempora fortasse paulo antecedens[2]), eadem praebet. Num forte, quod etiam in evangelio Marci (10, 7) in codicibus praestantissimis

---

1) Integrum Origenis locum vide ap. Tischendorfium, *ed. VII crit. maj.* p. 460.

2) Quid quod novissimus Vulgatae versionis laudator, Kaulen, *Geschichte der Vulgata*, p. 113 sq. Italam ad antiquissima ecclesiae tempora refert.

ℵB desunt, in nostro quoque loco a quibusdam omissa erant, ut Origenes testium nonnullorum defectum Paulo ipsi tribueret? Sane eadem ratione e loco parallelo Matth. 19, 5 sive e LXX viris illata dici possunt. Ut retinenda sint, nova difficultas oritur, utra lectio (*προς την γυν.* an *τη γυν.*) praeferenda sit. Utramque LXX praebent, utraque igitur ad normam versionis Alex. emendata esse potest; nos propter codicum ℵA consensum alteram (*τη γυν.*) ut non minus notabilem certe in uncis addidimus.

**LXX** *ed. Rom.*: *ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα [αὐτοῦ?] καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ· καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.*

**VV. LL.** *αντι* solus cod. 20 Holm. (e novo test.) substituit. — *αυτου* prius cod. **A** et Bodleianus, Orig. cat. 206 (vide supra) praebent; patres nonnulli, absque dubio ex auctoritate novi test., omittunt. — *αυτου* alterum servant cod. Bodleianus, **X** et codd. min. 21 Holm., etiam Origen. l. l. diserte, at non cod. **A**; itaque certe uncis inclusum addidimus. — *τη γυναικι* praebet solus **A** et minusc. duo Holm. (alter non nisi ad marg.); quibus codicis Bodleiani et Origenis diserta lectio *προς την γυν.* praeferenda erit.

Vides igitur, Paulum paene accurate versionem Alex. secutum esse, nisi quod pro *ενεκεν* substituit *αντι*, *αυτου* utrumque omisit.

Ceterum etiam hoc loco bene respondent LXX viri verbis hebraicis: עַל־כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת־אִמּוֹ וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד; de verbis extremis, quibus LXX addunt *οι δυο*, cf. locum nostrum XXXII (1 Cor. 6, 16).

## Locus LX.

Eph. 6, 2 sq. cf. Exod. 20, 12.

*Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα . . . ἵνα εὖ σοι γένηται καὶ ἔσῃ μακροχρόνιος ἐπὶ τῆς γῆς.*

**VV. LL.** Post *μητερα* **FG** al. verss. multae et patres aliquot addunt *σου* contra **ℵAB** etc. (vide LXX). In codice ℵ verba *ινα ευ κτλ.*

usque ad finem per manum A uncis inclusa at puncta passim imposita erasa sunt (vide infra).

**LXX** *ed. Rom.*: *τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου, ἵνα εὖ σοι γένηται καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς ἧς κτλ.*

Prius *σου* omittunt Clem. Al., Orig., Damasc., Iren. (interpr.), Cypr., Ambr., Cyr. Alex. (loco uno, alibi habet), Philo apud Holm.; codices autem nostri *σου* servant omnes. — *σου* alterum (quod in cod. **B** teste Maio superadditum est) omittunt codd. **A** 59. Philo, Clem. Alex., Orig., Bas., Cyr. Hieros., Cyr. Al. (at idem alibi praebet). Hanc autem praecepti formam (sine *σου* altero), quam patres supra enumerati et cod. Alex. praebent, in codicibus antiquissimis fuisse, loci evangeliorum paralleli comprobant, in quibus (certe Matth. 15, 4. Marc. 10, 7. Luc. 18, 20; non Marc. 7, 10 ut vidtr.) *σου* cum testibus optimis delendum est. — Pro *γενη* praebent *εση* codd. undecim minusc. Holm., patrum loci octo. Ut patres omittamus, qui in alleganda versione Alex. plerumque e novo test. pendent, docet locus ex parte parallelus Deut. 22, 7, ubi cod. **A** item praebet *εση* pro *γενη*, utramque promissionis formam in testibus antiquissimis exstitisse. — Denique verba *ινα ευ σοι γεν. και* cod. **A** omittit (vide textum hebr.)[1]). Itaque cum omissio vocis *σου* post *μητερα* nec non lectio *εση* absque dubio ad testes antiquos referendae sint, Paulus non nisi eo a versione recedit, quod verbis *και ινα μακροχρ. εση* in maiorem orationis concinnitatem substituit *και εση μακροχρ.*, extrema autem verba post *της γης* ut ab argumento suo prorsus aliena omisit. In addendis verbis *ινα ευ σοι γενηται* apostolus etiam hoc loco cum cod. **B** facit contra cod. **A**.

Hebraica (Ex. 20, 12) haec sunt: כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וְאֶת־אִמֶּךָ לְמַעַן יַאֲרִכוּן יָמֶיךָ עַל הָאֲדָמָה וגו׳. In Deuter. (5, 16) post ימיך etiam adduntur

---

1) Quae omissio, nisi forte scribae cuidam ab *ινα* priore ad alterum aberranti ascribenda est, fortasse ad textum hexaplarem referenda. Etiamsi enim huius loci reliquiae in hexaplorum editionibus non afferuntur, dubium esse non potest, quin Origenes verba illa quae in textu hebr. non leguntur obelo notaverit.

verba וּלְמַעַן יִיטַב לָךְ quae LXX viri illinc etiam in Exodum transtulerunt, utroque loco ordinem mutantes. Quem mutatum verborum ordinem etiam Paulus sequitur. Ceterum minus accurate reddiderunt LXX למען יאר׳ i. e. *ut longi fiant dies tui*. Vides igitur apostolum iterum iterumque vel in allegandis decalogi praeceptis e versionis Alex. verbis pendere.

---

# Series IV.

## Recensus locorum qui propius accedunt ad textum hebraicum.

### 1. Tabula locorum qui versione Alexandrina prorsus relicta ab apostolo allegantur.

Inter locos fere XC non nisi duo exstant, qui relicta versione Alex. accurate (vel paene accurate) sequuntur textum hebraicum. Quos si diligenter nobiscum perscrutatus eris, praesumtas eorum opiniones perspicies, qui largum textus hebraici usum apostolo tribuunt.

#### Locus LXI.

Rom. 11, 35 cf. Job. 41, 3.

*Ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ;*

**LXX.** *ἢ τίς ἀντιστήσεταί μοι καὶ ὑπομενεῖ;*

Ita LXX viri reddiderunt hebraica מִי הִקְדִּימַנִי וַאֲשַׁלֵּם, verbum הקדים sensu hostili accipientes (cf. Amos 9, 10; inde etiam Ewald: *wer überfällt mich, so will ich vergelten*). In altero autem hemistichio legerunt vel legere maluerunt וַיְשַׁלֵּם, absque dubio loco Job. 9, 4 (cf. et. 22, 21) adducti, ubi hebraica מִי־הִקְשָׁה אֵלָיו וַיִּשְׁלָם ita reddunt: ***τίς σκληρὸς γενόμενος ἐναντίον αὐτοῦ ὑπέμεινεν;*** At totius loci contextus

potius Pauli apostoli versionem commendat, qui voci הקדים usitatam notionem tribuit *praeveniendi aliquem beneficiis praestandis.* Bene iam Schultens (comm. in Jobum, p. 1183) contulit arab. أقدم (coll. قدّم et قدم) *praevertere, praevenire beneficiis*; de eadem verbi hebraici notione vide Gesenium, *thes.* II, 1193 [1]). Quae autem sequuntur (תחת כל השמים לי הוא) aperte demonstrant, in antecedentibus de donis deo praestandis verba fieri. Ceterum hoc etiam monendum est, secundum syntacticum verborum nexum aliam versionem ferri non posse, nisi hanc: *quis praevenit me, ut mihi reddendum sit.* Inde iam vulgata versio: *quis ante dedit mihi, ut reddam ei.* Apostolus igitur primae personae tertiam substituit (*ανταποδοθησεται*), quae simul e Graecorum ratione dicendi in passivum sermonem mutata est. Apostoli allegationem autem non ad textum hebraicum, sed ad aliam Jobi versionem nobis ignotam referendam esse, sub finem loci sequentis comprobare studebimus [2]).

### Locus LXII.

1 Cor. 3, 19 cf. Job 5, 13.

*Γέγραπται γάρ Ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν.*

**LXX.** *ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει κτλ.* (codd. **A** et 254 Holm. sub finem addunt *αυτων*, quod sane contextus requirit; cf. etiam textum hebr.).

1) Cf. etiam Delitszch, *das Buch Jiob* p. 493: *wer gab mir etwas zuvor, dass ichs erstatten müsste; . . der Sinn von* 'הקד *bestimmt sich nach* 'ואש *„zuvorkommen" nämlich durch entgegengebrachte Gaben (arab. akdama).*

2) Non defuerunt, qui locum nostrum e Jobi libro repetitum esse omnino negarent. In codice A enim eadem verba post Jes. 40, 14 leguntur, quem versum Paulus modo ante (v. 34) allegaverat. Eadem etiam cod. א in fine versus 14 eiusdem capitis Jesaiae praebet. (Teste Tischend. corrector C[b] verba illa uncis inclusit, qui postea rursus deleti sunt.) Quibus causis adductus affirmat Ewald, apostolum verba illa post loc. Jesaiae 40, 13 in exemplari suo legisse et una cum versu 13 in epistolam suam recepisse. At cum neque in codice ullo hebraico neque in versionibus Jesaiae verborum illorum vestigia exstent, dubitari non potest, quin versus noster (eadem ratione qua locus Rom. 3, 13—18 in codicem B vers. Alex. post

**Hebr.** לְכֵד חֲכָמִים בְּעָרְמָם

Vides igitur, in Pauli allegatione versionis Alex. vix vestigium ullum exstare; חכמים enim, quam vocem uterque *σοφους* reddit, aliter verti non poterat. Praeterea LXX viri לכד recte reddiderunt *καταλαμβανων*, articulum (ante *σοφους*) cum textu hebr. omiserunt. Vocabulo ערמה (ad hoc enim ערמם referendum est, non ad עָרֹם) notionem „*φρονησις*" tribuerunt, alias eandem vocem accuratius reddentes „*πανουργια*" (cf. Prov. 1, 4. 8, 5. Jos. 9, 4). Tamen nihil oberat, quominus apostolus eorum versione uteretur. Imo verba illa *εν τη φρονησει* melius etiam quadrarent ad totius loci sententiam (*η γαρ σοφια του κοσμου τουτου μωρια παρα τω θεω εστιν*), quam *εν τη πανουργια*, quippe quod vocabulum facta magis quam cogitata respiciat. Quid igitur causae erat, ut hoc potissimum loco versionem Alex. relinqueret? — Supra iam vidimus (cf. loc. LXI), idem in allegando loco Job. 41, 3 factum esse. Omnibus autem in locis, qui ad textum hebraicum aliqua ex parte accedunt, apostolus certe nonnulla versionis verba retinuit, ut rationem aliquam LXX virorum haberi manifestum sit. Inde ad hanc sententiam adducimur, Jobi versionem Alex. apostoli temporibus aut omnino non exstitisse aut certe in manibus eius non fuisse. Prius quominus statuamus, Philo prohibet, quippe qui certe uno loco[1]) Jobi versionem Alexandr. alleget. Altera autem sententia, Jobi versionem tunc temporis apud Palaestinenses in usu nondum fuisse, vehementer eo commendatur, quod neque apud Josephum neque apud novi test. scriptores certa eius allegatio exstat[2]). Dixerit

Ps. 14, 3) e novo test. in codices LXX virorum illatus sit. Deficiente enim allegandi formula ante v. 35 et verbis utriusque allegationis arctissime cohaerentibus, versus 35 eiusdem loci pars videbatur, unde apostolus versum 34 modo attulerat. Transpositionem illam antiquissimam esse, codicis א exemplum comprobat. Ceterum minime mirum est, quod in tanto allegationis dissensu a versione Alex. (quam unam noverant) de Jobi loco scribae non cogitaverint.

1) *De nominum mutatione*, ed. Francof. p. 1051 D: *τις γαρ, ως ο Ιωβ φησι, καθαρος απο ρυπου;* cf. Job. 14, 4.

2) De Josepho vide Eichhornium, *Einleitung in das A. T.* I. p. 161. In Pauli epistolis quaestione accuratissima instituta non nisi unum locum inveni, qui Jobi versionem Alexandr. videtur respicere: cf. Phil. 1, 19 cum Job. 13, 16. Num forte apostolus, cum antea alia versione Jobi usus esset, extremam epistolam illam scribens

fortasse quispiam, multos veteris test. libros nusquam allegari in novo test.[1]), quorum versio Alex. Philone et Josepho testibus certo tunc temporis pervulgata fuerit. At aliud est, libri alicuius mentionem omnino non habere, aliud locum ex eo repetitum allegare relicta versione Alexandrina, quod in utraque Jobi allegatione apud Paulum factum esse vidimus. Ad sententiam nostram confirmandam fortasse hoc etiam afferri potest, quod e patribus apostolicis soli Clementi (cuius in epistola priore ad Corinthios decem loci accurate allegantur) versio Jobi Alexandrina nota fuit. — Ceterum facere non possum, quin Pauli allegationem utramque ex alia quadam Jobi versione repetitam esse suspicer. Bene monet Meyer (cf. etiam Winerum, *Gramm.* p. 315), participium illud ο δρασσομενος pro verbo finito accipi non posse, imo totam allegationem non nisi partem certi cuiusdam loci habendam esse. Praeterea hoc etiam notandum est, vocem δρασσεσθαι (quam Hesych. explicat: επιλαβεσθαι· κρατησαι) nusquam legi in novo test., non nisi raro apud LXX viros (pro נשק Ps. 2, 12; pro קמץ Lev. 2, 2. 5, 12; at nusquam pro hebraico לכד). Utut res se habet, iure nostro quaeremus, quomodo apostolus in reddenda voce usitatissima in vocabulum minime usitatum inciderit. In his autem acquiescendum erit, cum alterius versionis graecae tunc florentis memoria ad nos non pervenerit[2]).

---

Jobi versionem Alex. interea noverat? an forte versiones illae aliqua ex parte consentiebant?

1) Aperte allegantur secund. versionem Alex.: quinque libri Mosis 2 Sam. 1 Reg. Jes. Jer. Hos. Joel Amos Mich. Habac. Hagg. Sach. Mal. Psalmi Proverbia. Ad alios certe alluditur; at horum sex. nusquam mentio fit: Jud. Cantic. Eccles. Esra Neh. Esther.

2) Bengel acute ad locum nostrum adnotat: *videntur apostoli verba LXX interpr. maxime tenuisse in locis apud Hellenistas valde notis v. gr. in Parschijoth et Haphtaroth, item in Psalmis; Hebraica autem in locis minus usitatis, qualis est hic Jobi locus.* At quicunque loci praeter duos illos Jobi propius ad textum hebraicum accedunt, partim e pentateucho (Rom. 9, 17. 12, 19), partim e Jesaia (Rom. 10, 15. 1 Cor. 14, 21) allegati sunt. Proverbia autem, quae secund. Bengelium locis minus usitatis ascribenda sunt, accurate secund. LXX viros laudantur (cf. Rom. 12, 20 sq.).

## 2. Tabula locorum qui ad textum hebraicum accedentes tamen ex parte LXX viris respondent.

### Locus LXIII.

**a**) Rom. 1, 17 cf. Hab. 2, 4.

*Καθὼς γέγραπται Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.*

**VV. LL.** *μου εκ πιστ.* praebent cod. **C** et codd. *vulg.* — *εκ πιστ. μου: syr. post.,* Euseb. Hieron. *(quod apostolus LXX magis testimonio abusus est ad Romanos scribens: „Iustus autem ex fide mea vivet" et non eo quod habetur in Hebraico, causa perspicua est: scribebat enim Romanis qui scripturas Hebraicas nesciebant).* Tamen neque Eusebii, neque Hieronymi auctoritas pluris aestimari potest codicum **אABD** al. consensu. — Statim hoc loco addemus, quod in quaestione nostra gravissimum est, quem in modum auctor epistolae ad Hebraeos datae (10, 38) eundem locum allegaverit. Quanquam difficultas haud mediocris inde oritur, quod totum Habacuci locum auctor epistolae illius minus allegat quam inserit orationi suae, tamen de omittendo an retinendo *μου* aliquid lucis inde proveniet. Illic autem lectiones exstant fere hae: 1) *ο δε δικ. εκ πιστ. ζησεται* (plane ut Paulus): textus rec. cum **D***EKLN**I** al. plerisque, Chrys. Dam. al. — 2) *ο δε δικ. εκ πιστ. μου* (cf. LXX cod. **B**): **D*** *d e syr. utr.* al. Euseb. Cypr. Theodrt. — 3) *ο δε δικ. μου εκ πιστ.*: **אAN*** *f vulg.* Clem. Alex., Theodrt. (loco uno) al. — Quod ad omissionem vocis *μου* attinet, testes primo loco notati cum peioris notae, quam quorum auctoritate nitaris, tum emendationis e Pauli locis (cf. etiam Gal. 3, 11) admodum suspecti sunt. Magis etiam altera lectio (*μου* post *πιστεως*) inprimis Syri et Italae auctoritate commendatur. At ut hoc omittamus, versionis cuiuslibet lectiones codicum antiquissimorum graecorum testimonio posthabendas esse, inprimis Italae lectiones tum demum maioris pretii dicendae sunt, ubi codices eius inter se consentiunt. Docet autem eorum discrepantia, varias lectiones iam in antiquissimis codicibus graecis exstitisse et in versionem

latinam inde translatas esse. Extrema autem lectio (*μου εκ πιστ.*) causis duabus vehementer commendatur: primum codicum **א** et **A** consensu, qui deficiente cod. **B** reliquos aequant omnes, deinde ordinis illius consensu cum cod. **A** LXX virorum, cuius textum loci in epistola ad Hebr. laudati paene ubique sequuntur[1]). E causis modo expositis certe hoc apparebit, vocis *μου* omissionem in codicibus antiquissimis LXX virorum minime verisimilem esse; imo omissio Paulo ipsi videtur tribuenda.

**LXX.** *ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται.*

Eundem textum praebent **אB** et hexaplorum reliquiae. Contra **A** et codd. 13 minusc. Holm., Clem. Alex., Theoph., vss. *armen.* et *slavon. ostrog.*: *μου εκ πιστεως.* — Sine *μου* (fortasse ex auctoritate Pauli) locum praebent codd. quinque Holm.[2]). Sed cum codicum **אB** lectio facillime e textu hebraico (nempe e varia lectione באמונתי) explicari possit, verborum autem inversio, quae in codice **A** invenitur, interpreti consulto mutanti tribuenda sit[3]), in codicum **א** et **B** textu cum Bleekio[4]) et Delitzschio acquiescendum erit.

**Hebr.** וְצַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה

1) Cf. Bleek, *Einleitung in den Brief an d. Hebr.* p. 372 sq. Obiicit sane Delitzsch (*Comment. über den Hebräerbr.* p. 508), auctorem epistolae ad Hebraeos eadem ratione qua in loco 10, 30 Pauli allegationem secutum esse. At primum de Pauli imitatione in loco 10, 30 dubitari potest, praesertim cum cod. **א** verba *λεγει κυριος* illic omittat, deinde non video, quomodo *μου* illud in codices praestantissimos irrepserit. Sin e LXX illatum est, cur uterque codex (**אA**) Rom. 1, 17 et Gal. 3, 11 illud *μου* omittit? Eandem quam nos lectionem (*ο δε δικ. μου*) in epistola ad Hebr. etiam Bleek (*der Brief an die Hebr.*, 2. Abth. 2. Hälfte p. 714 sq.), Tholuck (*Commentar zum Briefe an die Hebr.* ed. III, p. 367), Lachmann, Tischendorf secuti sunt.

2) De tota hac quaestione ex opere Holmesii ob perversitatem eius accuratius iudicari non potest. Eosdem enim codices, qui *μου* ante *πιστεως* servant, vocem *μου* post *πιστεως* omisisse dicit, non reputans, singulos codices non nisi semel *μου* praebere potuisse. Affirmat autem Tischend. (ad loc. Hebr. 10, 38), testes multos in LXX *μου* omisisse; e quibus Holmes. non nisi quinque minusculos affert.

2) Cf. Bleek, *Comment. zum Briefe an die Hebr.* 2. Abth. 2. Hälfte p. 714 sq.

3) Cf. Bleek l. l. p. 714. Aliter sane Bleek in introductione in epist. ad Hebraeos (not. 469) iudicat, vocem *μου* e LXX virorum codicibus delendam esse, quippe quae vario loco a variis praebeatur.

LXX viri textum a nostro diversum secuti sunt, nempe באמונתי (cf. etiam quae antecedunt: *η ψυχη μου* pro נפשו) pro באמונתו[1]). Inde verterunt: *iustus vivet ex fide mea* h. e. *mihi praestita*. Versiones reliquae omnes textum hebraicum reddunt nostrum (Aquil.: *και δικαιος εν πιστει αυτου ζησεται·* Symm. et Theod.: *ο δε δικαιος τη εαυτου πιστει ζησει*). Paulus in utraque allegatione sua versionis Alex. verba accurate sequitur (quid quod in loco nostro vel particulam *δε* praeter contextum suum servavit!) at omisso pronomine *μου*, quo apposito LXX a textu hebraico recedunt. Quare facere non potuimus, quin allegationes illas ad textum hebraicum accedentes diceremus. At reliquis verbis optime consentientibus minime dubitamus, quin emendatio illa sine ipsius textus hebraici respectu facta sit. Primum enim apostolus *μου* addens non nisi levissime verborum sententiam mutasset, deinde — quidni etiam hoc loco Paulus versione ita poterat uti, ut vocabulum unum ad argumentum ipsius minus quadrans eiiceret? Huc accedit, quod huius loci non est exponere, aliquid discriminis interesse inter vocis אמונה notionem ac fidem salvificam, quam apostolus salutis fundamentum dicit; e quibus certe hoc apparet, apostolum ante omnia notione *πιστεως*, quam versio Alex. praebebat, ad loci illius allegationem adductum fuisse.

b) Gal. 3, 11 cf. Hab. 2, 4.

Eadem verba (omissa particula *δε*) sine ulla lectionum varietate, nisi quod **D*EFG** al. praemittunt *γεγραπται γαρ*.

### Locus LXIV.

Rom. 9, 17 cf. Exod. 9, 16.

*Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραὼ ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.*

1) **Hieronymus ad loc. Hab. 2, 4 diserte testatur, suo tempore in codicibus aliquot graecis et hebraicis lectum fuisse באמונתי.**

VV. LL. Codd. FG praebent *οπως αν*. — FL al. *ενδειξομαι*. — L al. inepte: *διαγγελει*.

LXX *ed. Rom.*: *καὶ ἕνεκεν τούτου διετηρήθης* (al. *διετήρησά σε*), *ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν ἰσχύν* (al. *δύναμιν*) *μου καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ*.

VV. LL. *διετηρησα σε* praebent cod. 135 (cod. 85 certe ad marg.) et versio arab. tertia; at vide infra de hexaplis. — Pro *ισχυν* praebent *δυναμιν*: codd. A X (in marg. *ισχυν*) et codd. 23 minusc. Holm. — Quae testium et auctoritas et multitudo iam per se lectionem variam *δυναμιν* ut antiquissimam comprobaret, etiamsi non accederet hexaplorum testimonium. Teste Montefalconio autem ad *διετηρηθης* in hexaplis adnotatum erat: *Αλλ. διετηρησα σε* [1]) nec non ad *ισχυν*: *Αλλ. δυναμιν*. Ex his manifesto apparet, certe alteram Pauli lectionem (*δυναμιν*) ad codices antiquissimos referendam esse[2]). Itaque non nisi eo a versione Alexandrina recedit, quod verbis prioribus substituit: *εις αυτο τουτο εξηγειρα σε, οπως*. Quae verba primo obtutu melius quadrare videntur ad textum hebraicum וְאוּלָם בַּעֲבוּר זֹאת הֶעֱמַדְתִּיךָ בַּעֲבוּר הַרְאֹתְךָ אֶת־כֹּחִי וּלְמַעַן סַפֵּר שְׁמִי בְּכָל־הָאָרֶץ, quam editionis Rom. illa: *ενεκα τουτου διετηρηθης*. Sed ante omnia hoc monendum est, Pauli verba, quae praeterea accuratissime cum versione Alex. consentiunt, tum demum ad textus hebr. normam accommodata dici posse, si LXX viri hebraica falso vertissent. At LXX virorum illud *διατηρειν* melius quadrat ad vocis hebraicae notionem, quam Pauli *εξεγειρειν*[3]).

---

1) Quid quod Origenes (teste Holmesio) in commentariis ipsa Pauli verba *εξηγειρα σε* retinuit; deinde autem ad textus Alexandrini formam (*διετηρηθη Φαραω*) rediit.

2) Hoc etiam eo commendatur, quod versiones arabicae prima et altera utramque lectionem coniunctam praebent („*robur potestatis*"); absque dubio alteram in textu, alteram ad marginem legebant.

3) העמיד proprie significat: *stare fecit alq.* h. e. aut „*constituit, stabilivit*", aut „*conservavit*". Nostro autem loco altera verbi notio contextu vehementer commendatur, quippe qui hanc verborum sententiam requirat: *quanquam iam in eo erat, ut prorsus te exstinguerem, hanc ob causam superstitem te feci, ut auctis etiam miraculis potentiam meam in te manifestarem* (cf. etiam Ex. 8, 18. 1 Reg. 15, 4. 2 Chron. 9, 8. Prov. 29, 4). Ita Surenhus., Knobel, de Wette, Meyer.

Et si quis dicat, emendationem ex eo perspicuam esse, quod apostolus passivum genus (*διετηρηθης*) in activum mutaverit, nostro iure ad variam versionis Alex. lectionem hexaplarem supra notatam (*διετηρησα σε*) provocabimus. Montefalconius utramque lectionem (*διετηρ.* et *δυναμιν*) e codice quodam Basileensi repetitam dicit. Etiamsi non nisi altera (*δυναμιν*) codicum aliorum antiquorum auctoritate commendatur (vide supra), tamen negari non poterit, quin et illa (*διετηρησα σε*), quam Montefalc. ex eodem codice affert, ad antiquissima tempora referenda sit, praesertim cum iam Vulgata similiter praebeat: *posui te.* Sin utraque lectio ad Pauli verba accommodata esset, explicari non posset, primum quomodo *δυναμιν* in codices plurimos LXX virorum irrepsisset, deinde cur non ipsa Pauli verba (*εξηγειρα σε*) in versionem Alex. illata essent. Inde hoc verisimillimum nobis videtur, Paulum lectioni illi *ενεκα τουτου διετηρησα σε*, cuius ex parte memor erat, ardore quodam demonstrandi abreptum substituisse: *εις αυτο τουτο εξηγειρα σε*, ut obturationem Pharaonis per deum ipsum effectam magis urgeret. Inde simul verba priora mutavit in *εις αυτο τουτο*, cum LXX viri accuratius vertissent *και ενεκα τουτου.* Vocem אולם uterque textus et LXX virorum et Pauli omittit. Itaque hoc quidem e loco nostro effici non potest, ut versionem Alex. diserte ad normam textus hebraici ab apostolo emendatam dicamus.

### Locus LXV.

Rom. 12, 19 cf. Deut. 32, 35.

*Γέγραπται γάρ· Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει κύριος* (FG: *ανταποδω*; similiter versio goth.: *retribuo*).

**LXX.** *ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω κτλ.*

Variae lectiones cum nullo modo cum Pauli allegatione conveniant omittendas existimavimus. LXX viros autem, ita vertentes verba hebraica לִי נָקָם וְשִׁלֵּם, diversam a nostra lectionem respexisse, pentateuchus Samar., quem paene millies cum versione Alex. consentire supra iam commemoravimus, lectione sua ליום נקם diserte comprobat.

Utra lectio praeferenda sit, non huius loci est quaerere. Quod ad hemistichium alterum attinet, de varia lectione (ואשלם) cogitari non potest; imo LXX viri vocem שִׁלֵּם, quae non nisi hoc loco legitur, parum intelligentes substituerunt, quae verbi sonus locique contextus requirere videbantur[1]). — Jam ad verba hebraica redeamus. Etiamsi totius loci contextus eam verborum versionem requirit, ut לִי casum auctoris accipiamus i. e. *me auctore ultio fit et retributio*[2]), tamen facile concedimus, verbis hebraicis per se spectatis apostoli versionem minime excludi. Itaque in priore hemistichio Paulus accurate sequitur textum hebraicum, vocem εκδικησις e LXX viris retinens; alterum autem hemistichium addito εγω (quod sane post mutatam verborum antecedentium versionem omittere non poterat) leviter in sententiam suam mutavit. Vides igitur, apostolum aliqua ex parte e versione Alex. pendere, in iis autem ab ea recedere, quae textui hebraico parum respondere videbantur.

At ne his, quae modo exposuimus, omnem difficultatem remotam dicamus, prohibet locus in epistola ad Hebraeos (10, 30) obvius, qui plane eandem edicti illius formam praebet, quam Paulus — additis adeo secundum codd. nonnullos verbis extremis λεγει κυριος. Quae verba si genuina essent, pro totius contextus indole (οιδαμεν γαρ τον ειποντα· εμοι εκδικ. εγω ανταπ., λεγει κυριος) dubitari non posset, quin auctor epistolae illius integrum locum accurate e Paulo recepisset. At post inventum codicem א testium ratio ea est, ut verborum λεγει κυριος omissio vehementer commendetur. Leguntur enim in codicibus **A** (cod. **B** deficit) **D*** EKL** al. plerisque, *syr. post.*, Chrys. (at Chrys. pro οιδαμεν γαρ τον ειπ. substituit γεγραπται γαρ); desunt in codd. א (corr. C addidit) **D*** 17. 23* 67** *ital. vulg. syr. copt. arab. Erp.* al. Inde verisimillimum videtur, verba illa e loco Paulino in epistolam ad Hebr. temere illata esse. Itaque ex epistolae ad Hebraeos textu certi quid de hac quaestione statui non potest, utrum auctor epistolae illius locum Deuteronomii ita afferens non

1) Eadem de causa Onkelosus in paraphrasi chaldaica reddidisse nobis videtur וַאֲנָא אֲשַׁלֵּם. Primus Saadia vocem שִׁלֵּם substantivo reddidit.

2) Cf. Kamphausen, *Das Lied Mosis* p. 176 sq.

nisi Pauli allegationem secutus sit (ita Bleek, Delitzsch al.), an uterque eam edicti formam praebeat, quae tunc temporis tanquam in proverbium abierat (Tholuck, Meyer, Luenemann al.). Ut nostram sententiam dicamus, Onkelosi versio supra iam commemorata קֳדָמַי פּוּרְעָנוּתָא וַאֲנָא אֲשַׁלֵּם eo nos adducit, ut Pauli allegationem ad traditionem quandam scholasticam de loco illo celeberrimo pervulgatam referamus. Annon maxime mirum esset, Onkelosum Pauli aequalem et fortasse contubernalem prorsus in eandem loci illius interpretationem incidisse, nisi certa quaedam interpretandi forma iamdudum exstitisset? Minime igitur habemus, cur locum nostrum ad expressam textus hebraici curam referamus; imo Paulus retentis versionis Alex. verbis loci formam Judaeorum doctoribus usitatam proferebat, fortasse ne memor quidem textus utriusque discrepantiae. Effatum enim illud e carmine celeberrimo repetitum, tantopere faciens ad confirmandos audientium animos certe in Judaeorum orationibus viguisse nemo erit qui neget.

---

# Series V.

## Recensus locorum qui ab utroque textu longius recedunt.

---

### 1. Tabula locorum qui propius ad LXX viros accedunt.

#### Locus LXVI.

Rom. 3, 10—12 cf. Psalm. 14, 1—3.

*Καθὼς γέγραπται ὅτι οὐκ ἔστιν δίκαιος οὐδὲ εἷς·* **11.** *οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν τὸν θεόν.* **12.** *πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρεώθησαν· οὐκ ἔστιν [ὁ] ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.*

**VV. LL.** v. 10. *οτι* praebent codd. **אAB** al. — al. fere 40, verss. multae (non *d e g vulg. syr. post.*) Chrys. omittunt. — ***ο συνιων*** scripsimus cum **אDEKL** al. ut videtur omnibus, Justin. Chrys. Theodrt. al. — articulum omittunt **ABG**; item *ο εκζητ.* cum **אAD** al. plerisque contra **BG**. At cum cod. **B** (testibus etiam Vercell. et Tischend.) simpliciter praebeat *ζητων*, una cum *εκ* fortasse etiam articulus excidit. Porro cum cod. **A** certe altero loco articulum habeat, lectio *ο συνιων* cum cod. **א** al. etiam priore loco videtur retinenda. — v. 12. *ο ποιων* iterum praebent **אDE** *(d e vulg.: qui faciat)*; articulum omittunt **AB** al. Inde *ο* certe in uncis addidimus. — Denique codd. **B** 67 ** *syr. aeth. arab. post.* omittunt *ουκ εστιν* secundo loco.

**LXX** Ps. 14, $1^b$: *οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.* 2. *[κύριος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ διέκυψεν ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων τοῦ ἰδεῖν εἰ] ἔστι συνιῶν ἢ ἐκζητῶν τὸν θεόν.* 3. *πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν, οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός.*

**VV. LL.** v. 1. *ουκ εστιν εως ενος* cum textu hebraico omittunt codd. 90 Holm., Theodrt., Euthym. Zyg.; at praebent eadem verba **אB** 27 al. (cod. **A*** post *χρηστοτητα* statim pergit ad: *ουκ εστι ποιων χρηστ.* v. 3, quod quin lapsui scribae tribuendum sit dubium esse non potest). — v. 3. *ο ποιων* praebent **א** (corr. $C^a$ vocem *ο* delevit) et fragmm. papyr. Londinensia (Tischend. *Monumm. s. nova coll.* VIII p. 223). De reliquis codicibus ex Holmesio omnia confundente iudicari non potest.

Verba hebraica, quae ad locum nostrum pertinent, haec sunt: v. $1^b$: אֵין עֹשֵׂה־טוֹב v. $2^b$: לִרְאוֹת הֲיֵשׁ מַשְׂכִּיל דֹּרֵשׁ אֶת־אֱלֹהִים v. 3: הַכֹּל סָר יַחְדָּו נֶאֱלָחוּ אֵין עֹשֵׂה־טוֹב אֵין גַּם־אֶחָד

Quae satis accurate LXX viri reddiderunt, nisi quod ad versum primum (certe secund. codd. **אB** 27; cf. Hupf., *die Psalmen*, I p. 280) e tertio adiecerunt *ουκ εστιν εως ενος*, item particulam *η* ante *εκζητων*. — Apostolus tres versus illos ad comprobandam communem omnium pravitatem ita allegat, ut versus decimus non nisi sententiam versus

primi psaltae repetat, undecimus versionis Alex. verba in brevius contrahat, duodecimus plane cum versione conveniat. Ante omnia autem hoc monendum est, Paulum excepta voce δικαιος versionis verba accurate secutum esse. At cum hoc locis e vetere test. repetitis comprobare studeret, ne Judaeos quidem lege gaudentes (cf. v. 20) iustos esse coram deo, LXX virorum verbis ουκ εστι ποιων χρηστ. simpliciter substituit ουκ εστιν δικαιος; quae deinde legebat contra textum hebr. addita: ουκ εστιν εως ενος, et ipse adiecit brevius ita: ουδε εις; quae dicendi formula (cf. 1 Cor. 6, 5) et simplicior erat et non minus usitata apostolo. Inde eorum sententia ferri non potest, qui in versu 10 tanquam summam allegationis praemissam dicunt (Calv. Koppe Bleek Fritzsche Thol. al.); reddit enim versus decimus integrum loci Psalm. 14, 1 argumentum, ita ut apostolus in versu 11 ad alterum psalmi versum transeat. Ex quo non nisi tot verba secundum LXX viros affert, quot ad argumentum eius videbantur necessaria. Versum tertium autem meras affirmationes praebentem Paulus integrum et accurate e versione recepit.

### Locus LXVII.

Rom. 10, 6–8 cf. Deut. 30, 11–14.

[Ἡ δὲ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη οὕτως λέγει· μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου] Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; [τοῦτ᾽ ἔστιν Χριστὸν καταγαγεῖν·] v. 7. ἤ Τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; [τοῦτ᾽ ἔστιν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.] v. 8. ἀλλὰ τί λέγει; Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου κτλ.

**VV. LL.** v. 8. εστιν post ρημα omittunt Orig. Cyr. (codd. duo, Orig. substituunt σφοδρα; vide LXX). — **DEFG** verss. multae et patres latini εστιν post εγγ. σου praebent.

**LXX.** v. 11. [ὅτι ἡ ἐντολὴ αὕτη — οὐχ ὑπέρογκός ἐστιν οὐδὲ μακρὰν ἀπὸ σοῦ ἐστίν. 12. οὐκ ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω ἐστί, λέγων] Τίς ἀναβήσεται ἡμῖν εἰς τὸν οὐρανὸν [καὶ λήψεται ἡμῖν

*αὐτὴν καὶ ἀκούσαντες αὐτὴν ποιήσομεν;*] 13. *οὐδὲ πέραν τῆς θαλάσσης ἐστί, λέγων Τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης κτλ.* 14. *ἐγγύς σού ἐστι τὸ ῥῆμα σφόδρα ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου* [*καὶ ἐν ταῖς χερσί σου ποιεῖν αὐτό.*]

**VV. LL.** v. 12. Pro *ημιν* priore praebent *ημων* codd. **A VII** 14 minusc. Holm. et cod. Leidens. Origen. (Tischend. *Monumm. nov. coll.* III p. 207); at praeter versiones aliquot nemo (ut Paulus) omittit. — v. 14. Ordinem *το ρημα εστιν* (ut Paulus) praebet solus cod. 55, qui mihi non raro e novo test. pendere visus est. — *σφοδρα* omittunt **VII** et 53 (ut Paulus); — verba *εν ταις χερσι σου* (quae in textu hebraico non habentur) non nisi in codicibus duobus desunt. Codex Sarrav. (cui Holm. falso lectionem *σοι* pro *σου* priore tribuit) ex editione Tischendorfii haec habet: *εγγυς σου* ⁒ *εστιν* : *σφοδρα το ρημα* (*το ρημα* literis minutissimis manus B adscripsit) *εν τω στοματι σου και εν τη καρδια σου* : *και* — *εν ταις χερσιν σου* : *ποιειν αυτο.* Vides igitur, codicem illum lectiones suas cum signis ⁒ et — e textu hexaplari repetiisse.

E textus hebraici verbis haec potissimum ad quaestionem nostram faciunt: v. 12. לֹא בַשָּׁמַיִם הִוא לֵאמֹר מִי יַעֲלֶה־לָּנוּ הַשָּׁמַיְמָה וגו׳
v. 13. וְלֹא־מֵעֵבֶר לַיָּם הִוא לֵאמֹר מִי יַעֲבָר־לָנוּ אֶל־עֵבֶר הַיָּם וגו׳
v. 14. כִּי־קָרוֹב אֵלֶיךָ הַדָּבָר מְאֹד בְּפִיךָ וּבִלְבָבְךָ לַעֲשֹׂתוֹ

Recte igitur in universum LXX viri versus illos reddiderunt, nisi quod (certe sec. cod. **B**) in versu 12 addunt *ανω*, item *εν ταις χερσι σου* in versu 14. — Apostolus autem in versu 6 vocem *ημιν* ut minus ad argumentum ipsius facientem omisit. Ascendendi autem mentione habita facile memoriter verba allegans in contrarium deducebatur, ut versum 13 libere ita afferret: *quis descendet in abyssum.* Ceterum versionem accurate secutus non habuisset, quomodo locum Deuter. ad Christum e mortuis resuscitatum referret. V. 14 integrum e versione recepit, ordine vocis *εστι* mutato, voce *σφοδρα* (quam fortasse in versione Alexandr. non legebat; vide supra) omissa. Denique utrumque לאמר a LXX viris recedens eleganter hunc in modum

praemittit: *μη ειπης εν τη καρδια σου* (cf. et. Surenhus. l. l. p. 479). — Ex his apparet primum, de textus hebraici usu cogitari non posse, deinde, etiam liberrimam hanc allegationis formam ad accuratam versionis Alex. cognitionem referendam esse[1]).

### Locus LXVIII.

Rom. 10, 11 cf. Jes. 28, 16[b].

*Λέγει γὰρ ἡ γραφή Πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται.*

**VV. LL.** Codd. pauci (solitam allegationum rationem sequentes) Ruf. Sedul. praemittunt *οτι*. — **DEFG** *ου μη καταισχυνθησεται* (contra **ℵAB**: vide LXX); quae lectio etiam eo suspecta est, quod iidem codices in loco Rom. 9, 33 (*ου μη καταισχυνθη*) manifesto e LXX interpolati sunt.

**LXX.** *καὶ ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ.*

**VV. LL.** Editio Rom. cum codice **B** (certe ex edit. Ang. Maii) *επ᾽ αυτω* omittit. At verba illa in codicibus **ℵ A XII** (qui sane *επ᾽ αυτων* praebet) et 19 minusc. Holmes., nec non in allegatione Petri (I, 2, 6, qui locus sane e Pauli allegatione pendere potest) leguntur. Fortasse verborum omissio in codice **B** ad textus hebraici respectum referenda est.

**Hebr.** הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ i. e. *qui fidem habet non celeriter fugiet.*

Paulus igitur versionem verborum לא יחיש minus accuratam[2]) recepit, initio *πας* e suis addidit. Quam vocem ad variam lectionem

1) Pro dissertationis nostrae fine non habemus, cur de argumento allegationis difficillimo multa hoc loco disputemus. Errat v. g. Bengel, Pauli locum *parodiam suavissime alludentem* dicens; imo huic loco apostolus eandem quam priori (Lev. 18, 5) auctoritatem tribuit, ut e Mosis ipsius vaticiniis fidei iustitiam ac naturam describeret. At si quis dicat, eiusmodi rationem allegandi, ut quae vehementer a propria scripturae sententia quin etiam verbis recedat, maxime ab apostoli scientia veracitate dignitate abhorrere, parum interpretationis illius, quae plerumque מדרש dicitur, perspexit indolem; cf. Schoettgenium, *Horae hebr.* tom. I p. 550.

2) De varia lectione יביש cum Surenhusio al. cogitari non potest; imo tribuerunt LXX viri verbo יחיש notionem eam, quae etiam hodie in lingua arabica ex-

referri non posse, docet locus parallelus Rom. 9, 33, ubi Paulus accurate LXX viros sequitur. Fortasse apostolus de loco Joelis (3, 5) quem paulo post affert (*πας γαρ ος αν κτλ.*) cogitabat [1]). Simile quid in loco Rom. 9, 27 factum esse, infra videbimus.

### Locus LXIX.

a) Rom. 11, 26—27[a] cf. Jes. 59, 20 sq.
b) Rom. 11, 27[b] cf. Jes. 27, 9.

*Καθὼς γέγραπται Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος, ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. (27) καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ᾽ ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.*

**VV. LL.** *αποστρεψει* praebent **ℵABCD*** 39. 47. 80; contra **FG** al. *αποστρεψαι*, quae lectio ad tollendum asyndeton inventa est. Eadem de causa textus rec. mavult *και αποστρ.* cum **D**** et *****EL** al. plerisque (vide LXX).

**LXX** Jes. 59, 20: *καὶ ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. (21) καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ᾽ ἐμοῦ διαθήκη κτλ.*

**VV. LL.** *εκ Σιων* (sec. nov. test.) praebent codd. 93 et 22 (e correctura). — *ο* ante *ρυομ.* omittit cod. ℵ (corr. C[a] addidit), fortasse incuria, at cf. textum hebraicum. — *απο Σιων* ed. Complut. habet, quibus nisa testibus non inveni. Hieron. (fortasse Paulum respiciens): *de Sion*, sed *vulg.: et veneril Sion redemptor.*

**LXX** Jes. 27, 9: [*καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ*] *ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν κτλ.*

Verba extrema ed. Rom. hoc ordine praebet: *την αμαρτ. αυτου.* At codd. **ℵAB** (ex. edit. Ang. Maii) **XII** et 21 minusc. (etiam

---

stat *erubescendi, expavescendi.* Etiam Chaldaeus et Syrus reddunt: *non timebunt* (Aquil. Symm. Theod. accuratius: *ο πιστευων ου σπευσει*).

1) Etiam locus Psalm. 25, 3 ex parte consona praebet: *και γαρ παντες οι υπομενοντες σε ου μη καταισχυνθωσιν.* Ceterum *πας* illud, etiamsi neque textui hebr. neque versioni Alex. respondet, a prophetae contextu minime abhorret.

ed. Compl.): *αυτου την αμαρτιαν*. — Denique codd. 11 Holm.: *και αυτη εστιν κτλ.*

**Hebr.** Jes. 59, 20 sq.: וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב וגו׳ : וַאֲנִי זֹאת בְּרִיתִי אוֹתָם וגו׳

Jes. 27, 9: וְזֶה כָּל־פְּרִי הָסִר חַטָּאתוֹ וגו׳

In utroque igitur loco LXX vehementer aberrarunt a textu hebraico. Prior enim fere ita vertendus erat: *at venit Zioni redemptor et revertentibus (conversis) a delicto in Jacobo (*i. e. *populo Jacobi); et quod ad me attinet — hoc est foedus meum cum illis* etc. — LXX igitur vocem לציון minus accurate quidem, at sensum recte tangentes verterunt *ενεκεν Σιων;* magis autem in verbis sequentibus a vero recedunt, vertentes ac si scriptum esset וישיב pro ולשבי. De varia lectione cogitari non potest, cum et Aquil. (*και τοις αποστρεψασιν αθεσιαν*) et Symm. (*και τοις αποστρεψασιν ασεβειαν*) textum hodiernum sequantur [1]). LXX igitur, nisi forte sensu loci male perspecto e suis quidquam addiderunt (quod inpr. Jesaiae interpreti non raro accidisse supra iam vidimus), fortasse veterem de hoc loco traditionem secuti sunt, cuius vestigia etiam apud targumistam exstant, qui ita locum praebet: וְלַאֲתָבָא מָרוֹדַיָא דְבֵית יַעֲקוֹב לְאוֹרַיְתָא i. e. *ut convertat expulsos (rebelles) domus Jacobi ad legem.*

Loci Jes. 27, 9 verba huc pertinentia fere haec sunt: *et hic omnis fructus est removendi peccatum eius* (sc. *quando reddiderit omnes lapides altarium discissos* etc.). Verba וזה כל וגו׳, quae inpr. difficultatem moverunt interpretibus, mihi ea respicere videntur, quae sequuntur: בשומו וגו׳ h. e. *in delendis idolorum altaribus omnis fructus remotionis peccatorum (positus) est* [2]). Utut res se habet, LXX viri sensum loci funditus mutarunt vertentes: *και τουτο εστιν η ευλογια αυτου, οταν αφελ. την αμαρτ. αυτου, οταν κτλ.* De varia lectione etiam hoc loco cogitari

1) Cf. etiam Vulgatam: *et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacobo.*

2) Ita Vitring. Hitz. Ew. Del.; prorsus aliter Gesen., quem Knobel sequitur, verba illa explicat, voci כל adverbii notionem tribuens (*gerade, eben*), חטאתו de idolis ipsis accipiens. Ita hunc fere sensum efficit: *hic* (sc. quod expiata est iniquitas Jacobi) *fructus est removendi idola, cum* (sc. hostes urbem delentes) *lapides altarium discinderent.* At idolorum remotio ab hostibus instituta nullo modo causa expiationis Jacobi dici poterat.

non potest, cum Aquil. Symm. Theod. consentientes reddant: *πας ο καρπος του περιαιρεθηναι την αμαρτιαν αυτου κτλ.* Imo LXX viri, verba הסר חטאתו pro subiecto accipientes, proprie ita locum interpretabantur: *et hic est fructus, (τὸ) removere peccatum eius.* Inde voci פרי benedictionis notionem tribuentes, infinitivum particula *οταν* solventes, in versionem illam inciderunt: *και τουτο εστιν η ευλογια αυτου, οταν αφελωμαι κτλ.*

Paulus in allegando loco utroque versionem Alex. accurate sequitur, nisi quod voci *ενεκεν* versus prioris substituit *εκ Σιων*, particulam *και* omisit; in altero autem loco pro *αυτου την αμαρτιαν* scribit *τας αμαρτιας αυτων*, quae mutatio verbis antecedentibus (*αυτη αυτοις η παρ' εμου διαθ.*) postulabatur. Apostolum autem memoriter utrumque locum afferre, allegationis ipsius indole satis comprobatur. Post verba enim *και αυτη αυτοις η παρ' εμου διαθηκη*, quae in loco Jes. 59, 21 leguntur, non consulto sed similitudine verborum deductus ad alterum locum aberravit verbis simillimis incipientem: *και τουτο* (al. *αυτη*) *εστιν η ευλογια αυτου.* Itaque statim pergit: *οταν αφελ. κτλ.*, quae verba post initium loci modo exscripti (Jes. 27, 9) leguntur[1]). Hinc nobis quidem maxime verisimile est, etiam reliquas mutationes allegationi memoriter factae tribuendas esse. Neque enim ii audiendi sunt, qui לציון vertendum fuisse „*εκ Σιων*“ affirmant, neque de corruptione vocis *εκ* ex *ενεκεν* cogitari potest[2]). Etiam magis errant, qui lectionem consulto ab apostolo mutatam esse contendunt. Tantum enim abest, ut lectio *εκ Σιων* totius loci argumento melius respondeat, ut altera (*ενεκεν Σ.*) apostoli sententiae magis consentanea dicenda sit. Imo mutatio illa e locis parallelis, qui simul in memo-

1) Surenhus l. l. p. 506 utriusque loci coniunctionem ad theologorum hebraeorum rationem allegandi refert, quae גזרה שוה h. e. *argumentum a similitudine vocum desumptum* dicatur. Equidem eiusmodi artes rabbinicas apostolo tribuere vehementer vereor.

2) Ita Bleek l. l. p. 350 existimat, apostolum *εκ Σ.* in exemplaribus suis invenisse, unde etiam lectiones Italae (*ex Sione*) et editionis Complut. (*απο Σιων*) fluxerint. At cum in nullo codice graeco huius lectionis vestigia ulla supersint, et Itala et ed. Complut. potius Pauli allegationem quam codices graecos videntur secutae esse.

riam apostoli inciderant, optime explicatur. Habes in psalmis (14, 7 LXX): τις δωσει εκ Σιων το σωτηριον του Ισραηλ; cf. etiam Ps. 110, 2: ραβδον δυναμεως εξαποστελει σοι κυριος εκ Σιων. Itaque propter hanc textuum discrepantiam minime habemus, cur locum nostrum libere secundum versionem Alex. sine ullo textus hebraici respectu allegatum negemus, praesertim cum apostolus etiam ea versionis verba, quae plane a textu hebraico recedunt, accurate retineat.

## Locus LXX.

Rom. 14, 11 cf. Jes. 45, 23.

*Γέγραπται γάρ Ζῶ ἐγώ, λέγει κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ θεῷ.*

**VV. LL.** Pro οτι **D*FG** praebent ει μη (vide LXX). Ordinem πασα γλωσσα εξομ. habent **ℵACD**L** al. ut vidtr. omnes, *vulg.*, *copt.*, *syr. post.* al., Justin. Chrys. Theodrt. Theoph. al. — Lachm. edidit εξομολ. πασα γλωσσα cum **BD*** et *****EFG** *ital.* (etiam cod. *guelferb.*) *goth.* al. Ruf. Ambrostr. Sedul. (*syr.* et verss. *aeth.* similiter: και εμοι εξομολ. πασα γλ.). Ut consensum codicum **ℵAC** omittamus, codicis **B** al. lectio iam quod nimis versioni Alex. convenit suspecta est. Fortasse etiam, quod Tischend. monet, ordo antecedens καμψει παν γονυ ad invertendum ordinem alliciebat. Maximi autem momenti hoc est, quod Paulus etiam in loco Phil. 2, 11 secundum testes omnes hunc ordinem praebet: πασα γλ. εξομολ. Latinorum autem et patrum et versionum testimonium haud magni faciendum est, quippe qui pro sermonis latini indole ad ordinem illum elegantiorem allicerentur.

**LXX** *ed. Rom.*: *κατ᾽ ἐμαυτοῦ ὀμνύω, [εἰ μὴ ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη κτλ.] ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ καὶ ὀμεῖται* (al. *ἐξομολογήσεται*) *πᾶσα γλῶσσα τὸν θεόν* (al. *τῷ θεῷ*).

**VV. LL.** εξομολ. praebent **A XII** et octo minusc. Holm. (e quibus sane codd. 106. 109. 302. 305. 306 plerumque cum **A** faciunt),

verss. *armen. georg. slavon.* **Hier.** semel utramque lectionem praebet *(et iurabit et confitebitur)*. Cod. **א** certe ad marginem (secund. Tischend. per manum $C^b$) habet *εξομολογ.* — Iidem pro *τον θεον* praebent *τω θεω.* — Quae testium ratio ea est (praesertim cum codex **XII** etiam alias in graviore lectionum varietate cum cod. **A** faciat), ut cum nonnullis de emendatione codicis **A** e novo test. cogitare possis. Sed cum etiam in reliquis Pauli allegationibus exempla lectionum exstent vehementer a codice **B** recedentium, quae non solum codicum **A XII** sed etiam codicis **א** et hexaplorum auctoritate commendantur (cf. Rom. 3, 17. 9, 17. 9, 26. 11, 34. 15, 11. 1 Cor. 2, 16. 2 Cor. 6, 17. 9, 7), dubitari non poterit, quin etiam hoc loco Pauli allegatio ad textum versionis Alex. a codice **B** diversum referenda sit.

**Hebr.** כִּי נִשְׁבַּעְתִּי .... כִּי־לִי תִּכְרַע כָּל־בֶּרֶךְ תִּשָּׁבַע כָּל־לָשׁוֹן

Quibus melius codicum **אB**, quam **A XII** lectio respondet [1]). Ceterum verba *τον θεον* (**A XII** *τω θεω*), quae LXX addunt, in textu hebr. ad sequentia pertinent (אך ביהוה לי אמר וגו'). Paulus igitur non nisi eo a versione Alex. recedit, quod verbis *κατ' εμαυτου ομνυω* solitam iurisiurandi formulam *ζω εγω* substituit. Hebraeorum illud חי אני ubique a LXX viris redditur *ζω εγω;* legitur autem in variis veteris test. libris vicies bis [2]); in locis duodeviginti additum est נאם ה', *λεγει κυριος*. Inde satis apparet, quomodo apostolus memoriter prophetam allegans in formulam longe usitatissimam inciderit. — Denique Paulus omissis verbis intercedentibus a iurisiurandi formula statim ad iurisiurandi obiectum pergit (*οτι εμοι κτλ.*). At sub finem cum LXX viris contra textum hebr. addit *τω θεω*, ut de allegationis eius fonte, a quo ab initio paullulum recesserat, dubitari non possit.

---

1) Docet sane Kimchi, vel hebraico verbo נשבע notionem *confitendi, enuntiandi* admixtam fuisse, quippe qui תשבע Jes. 45, 23 ita explicet: לקרא בשם i. e. *invocare et praedicare nomen Jehovae.*

2) Contra formula כי נשבעתי praeter locum nostrum non nisi ter (Gen. 22, 16. Jer. 22, 5. 49, 13) in codice sacro invenitur, ubique praeter locum nostrum a LXX viris reddita: *κατ' εμαυτου ωμοσα.*

### Locus LXXI.

1 Cor. 15, 25 cf. Psalm. 110, 1.

*Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, ἄχρι οὗ θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ.*

**VV. LL.** *αχρι ου* (sine *αν*) scripsimus cum **אABDFG** al. 6. Orig. (bis) Hipp. Ath. Euseb. Epiph. al.; *ου αν* praebent **א**c **D**** et *****KL** al. Orig. (semel, alibi *εως αν*) Chrys. Theodrt. al. (at vide LXX). — *εχθρους* (sine *αυτου*) edendum est cum **אBDEKL** al. plerisque, *d e vulg.* (etiam *amiat. demid.* al.), *syr. post.*, Orig. Eus. Chrys. Theodrt. (ad h. l.); Lachm. in uncis addit *αυτου* cum **AFG** al. *f g m vulg.* (codd. nonn.). — *αυτου* post *ποδας* omittunt **FG** *g* (at iidem *αυτου* post *εχθρους* praebebant) Hier. loco uno.

**LXX.** *κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.*

**Hebr.** שֵׁב לִימִינִי עַד־אָשִׁית אֹיְבֶיךָ הֲדֹם לְרַגְלֶיךָ

Paulus igitur particulae *εως αν* substituit *αχρι ου*, primam personam (*θω*) in tertiam flexit, quod propter antecedens *δει γαρ αυτον βασ.* aliter fieri non poterat; deinde *παντας* addidit ante *τους εχθρους*, pro *υποποδ. των ποδ. σου* simpliciter praebet *υπο τους ποδας αυτου* [1]). Vox *παντας* autem facile irrepere poterat e loco deinde allegato *παντα γαρ υπεταξεν κτλ.*, ubi apostolus sub finem iterum simpliciter habet *υπο τους ποδας αυτου.* Ceterum locus noster non nisi hanc ob causam consulto mutatus dici potest, quod vox *αχρι ου* praeter psaltae sententiam [2]) premitur, ut certum terminum tradendi imperium designet. At deficiente allegationis formula integer locus minus allegatur, quam libere apostoli orationi inseritur.

---

1) Similiter Matth. 22, 44: *υποκατω των ποδων σου*, at ubique praeterea (Act. 2, 35. Hebr. 1, 13. 10, 13) *υποποδ. των ποδ. σου.*

2) Particula עַד enim (*εως αν*) in loco nostro aperte non extremum terminum, sed firmam tantum rei exspectationem designat.

### Locus LXXII.

1 Cor. 15, 27 cf. Psalm. 8, 7.

*Πάντα γὰρ ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ.*

**LXX.** *πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ.*

Apostolus igitur iterum simpliciorem formam *υπο τους ποδας αυτου* praebet; alteram personam *υπεταξας* in tertiam flexit.

Bene autem respondet versio Alex. hebraicis: כֹּל שַׁתָּה תַחַת־רַגְלָיו

### Locus LXXIII.

1 Cor. 15, 45 cf. Gen. 2, 7.

*Οὕτως καὶ γέγραπται Ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν [ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν].*

**VV. LL.** *ανθρωπος* edendum est cum **ℵACDEFGL** al. plerisque, *ital., vulg., copt., syr. utr.,* Dialog. contra Marcionitas, Chrys. Theodrt. Dam. al., patribus latt. multis. — Lachm. *ανθρωπος* uncis inclusit; omittunt enim **BK** al. tres, Did., Irenaei interpr. lat., Tertull. (semel) al. Quae omissio facile inde explicatur, quod repetita hominis notio (*ανθρ.* et *Αδαμ;* ceterum cf. etiam textum hebr.) lectorem offendebat. — *Αδαμ* prius codd. minusc. 5 et Aug. (semel), alterum Iren. codd. contra unciales omnes omittunt.

**LXX.** *καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν.*

**VV. LL.** *ὁ* omittunt codd. tres minusc. Holm.; praebet autem articulum praeter **A** etiam cod. Bodleianus. Ceterum omissio post antecedentem eandem literam minime mira est.

**Hebr.** וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה

Paulus igitur versionem Alex. accurate sequitur, additis autem verbis *πρωτος* et *Αδαμ.* Unde apostolus ad verbum utrumque addendum adductus fuerit, docent sequentia *ο εσχατ. Αδ. κτλ.* Quae verba neque allegationis pars sunt[1]), ut quae e scripturae loco antecedente

1) Bene Calvinus ad h. l.: *nunc post adductum scripturae testimonium apostolus in sua persona Christum Adae opponere incipit.*

effici et tanquam cogi possint (Meyer), sed ab apostolo adduntur *ex natura oppositorum* (Bengel). Quaestioni autem multifarie ab interpretibus vexatae, quomodo Paulus geneseos verba e suis augere potuerit, allegandi formulâ lux infertur. Nusquam enim praeterea apostolus locum e scriptura repetitum ita affert: *και ουτως γεγραπται.* Qua formula ipse hoc indicare nobis videtur, non accuratam allegationem, sed liberam loci explicationem (מדרש) sibi propositam fuisse. Hanc enim formulae illi notionem tribuendam esse putamus: *secundum hanc sententiam etiam (και) iudicanda sunt, quae apud Mosen de hominis creatione leguntur* etc. Nobis autem maximi momenti hoc est, quod etiam liberior haec scripturae explicatio non ad textum hebr. sed ad versionis Alex. verba referenda est.

### Locus LXXIV.

2 Cor. 6, 16 cf. Levit. 26, 12.

*Ἡμεῖς γὰρ ναὸς θεοῦ ἐσμὲν ζῶντος* (ita cum **אBDL** al. scripsimus contra lectionem receptam: *υμεις γαρ ναος θεου εστε;* cf. Meyeri notam crit. ad h. l. in comm. p. 151 et 156 sub f.), *καθὼς εἶπεν ὁ θεὸς ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς καὶ ἐνπεριπατήσω καὶ ἔσομαι αὐτῶν θεὸς καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μου (μοι?) λαός.*

**VV. LL.** *μου* scripsimus cum **אBC** 17. 37. Eus. (bis) Dam.; contra *μοι* praebent **DEFGKL** al. fere omnes, verss. ut vdtr. omnes, Clem. Orig. Athan. Epiph. Cyr. Hieros. Theodrt. — Utraque lectio testium praestantiorum auctoritate commendatur, utraque e LXX viris illata esse potest (vide infra); at ut codicum **אBC** consensum omittamus (cod. **A** hoc loco mancus est), *μοι* facile ad lectionem difficiliorem (*μου*) removendam irrepere poterat.

**LXX.** *καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν καὶ ἔσομαι ὑμῶν θεὸς καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μου (ed. Rom. μοι) λαός.*

**VV. LL.** *μου* praebent codd. **A** et **B** (Vatic. testibus Holm. et Angelo Maio). Lectio *μοι*, quam etiam novi test. codices permultos sequi supra vidimus, in editione Rom. exstat. At cum Holmesius

non nisi lectiones a textu recepto diversas afferat, quinam testes *μοι* praebeant ex eius opere videre non licet.

Hebraica haec sunt: וְהִתְהַלַּכְתִּי בְּתוֹכְכֶם וְהָיִיתִי לָכֶם לֵאלֹהִים וְאַתֶּם תִּהְיוּ־לִי לְעָם; accuratius igitur dicendum erat in versione graeca: *εν μεσω υμων* et sub finem *εις θεον, εις λαον* (ita codd. nonnulli Holm. re vera praebent; cf. etiam loc. 2 Sam. 7, 14).

Paulus versioni initio addidit *οτι ενοικησω εν αυτοις;* verba *εν υμιν* (quippe quae iam antecedentibus *εν αυτοις* inessent) omisit, alteram personam (*υμων* et *υμεις*) in tertiam mutavit. Verba autem *οτι ενοικησω* non temere ab apostolo addita, imo e Levitici versu antecedente (*και θησω την σκηνην μου εν υμιν*) libere repetita sunt, ut deum corporibus sanctorum inhabitantem magis urgeret.

## Locus LXXV.

a) 2 Cor. 6, 17 cf. Jes. 52, 11.

b) 2 Cor. 6, 18 cf. 2 Sam. 7, 14.

*Διὸ ἐξέλθατε ἐκ μέσου αὐτῶν καὶ ἀφορίσθητε, λέγει κύριος, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε· κἀγὼ εἰσδέξομαι ὑμᾶς,* (18) *καὶ ἔσομαι ὑμῖν εἰς πατέρα καὶ ὑμεῖς ἔσεσθέ μοι εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας, λέγει κύριος παντοκράτωρ.*

**VV. LL.** *εξελθατε* cum **ℵBCFG** al.; *εξελθετε* (vide infra de LXX) **DEKL** al. plerique, patres multi praebent.

**LXX** Jes. 52, 11: *ἀπόστητε, ἀπόστητε, ἐξέλθατε ἐκεῖθεν καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅψησθε* (al. *ἅπτεσθε*), *ἐξέλθατε ἐκ μέσου αὐτῆς, ἀφορίσθητε οἱ φέροντες τὰ σκεύη κυρίου.*

**VV. LL.** *εξελθατε* utroque loco scripsimus cum **ℵAB** *(ed. Rom.* altero loco: *εξελθετε);* priore loco *εξελθετε* praebent codd. 18 minusc., edd. Complut. et Aldina. — *απτεσθε* (ut Paulus) praebent **ℵ A XII** codd. 23 minusc. Holm., ed. Complut. Inde apparet, Pauli lectionem etiam versionis Alex. testibus praestantissimis commendari. — *εκ μεσου αυτων* (ut Paulus) codd. 8 minusc. habent;

cod. א *εκ του μεσου*, ed. Compl. *εκ μεσου αυτου.* Ante *αφορισθ.* solus cod. **XII** addit *και* (22 super linea).

**Hebr.** סוּרוּ סוּרוּ צְאוּ מִשָּׁם טָמֵא אַל־תִּגָּעוּ צְאוּ מִתּוֹכָהּ הִבָּרוּ וגו׳ h. e. *recedite, recedite illinc, profanum ne tangite, egredimini e media ea* (nempe *terra Chaldaeorum*) etc.; quae recte reddiderunt LXX viri, nisi quod voci הברו *(lustramini)* notionem *separandi* tribuerunt. Paulus liberrime singula versionis verba miscet. Addit initio *διο*, utrumque *αποστητε* omittit, pro *εκειθεν* statim ex hemistichio altero substituit *εκ μεσου αυτων* (LXX *αυτης*) et *και αφορισθητε.* Denique e suis allegandi formulam addit *λεγει κυριος.* Verba autem extrema (*οι φεροντες κτλ.*) ut ab argumento suo prorsus aliena omittit. Unde autem illa *καγω εισδεξομαι υμας* repetierit, varie dissentiunt interpretes. Meyer de loco Ezech. 20, 34 cogitat: *και εξαξω υμας εκ των λαων και εισδεξομαι υμας εκ των χωρων κτλ.* (cf. etiam 11, 17. Zach. 10, 8). Sed cum apostolus praeterea ne unum quidem locum e propheta illo repetierit[1]), nobis tutissimum videtur, ad Jesaiam ipsum redire, quippe qui ita pergat (52, 12): *προπορευσεται γαρ προτερος υμων κυριος και ο επισυναγων υμας θεος Ισραηλ.* Facile apostolus memoriter prophetam allegans e verbis extremis (*ο επισυναγων κτλ.*) illud *καγω εισδεξομαι υμας* colligere poterat, cum non multum discriminis intercedat inter deum Judaeos sibi colligentem et apud se recipientem.

**b)** **LXX** 2 Sam. 7, 14: *ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα καὶ αὐτὸς ἔσται μοι εἰς υἱόν.*

Quae verba optime respondent hebraicis: אֲנִי אֶהְיֶה־לּוֹ לְאָב וְהוּא יִהְיֶה־לִּי לְבֵן. Apostolus autem tam libere locum illum allegat, ut iam Grotius (et similiter post eum Ewald) verba eius e celebri quodam Judaeorum hymno desumpta putaret. Et dubitari quidem potest, utrum Paulus de hoc potissimum versu cogitaverit, an in universum ad promissionem illam saepe repetitam alluserit (cf. Mal. 2, 10. 1 Chron. 17, 13 al.; minus huc pertinent Jer. 31, 9. 33. 32, 38.

---

1) Ezechiel in novo testam. non nisi in Apocal. aliquoties affertur; etiam Philo (cf. Eichhornium, *Einleitung in das A. T.* I p. 135) Ezechielis nusquam fecit mentionem.

Lev. 26, 12. Hos. 1, 10. 2, 23 al.). Toti autem quaestioni lux infertur eo, quod formula allegationis *λεγει κυριος παντοκρατωρ*, quae nusquam praeterea apud Paulum legitur[1]), in capite eodem alterius libri Samuelis (v. 8) proxime antecedit. Itaque integer locus ille apostolo ob oculos fuisse nobis videtur. Refert autem verba illa, quae Salomonem proprie respiciunt, ad fideles omnes; inde post *εις υιους* libere addit *και θυγατερας*.

### Locus LXXVI.

Gal. 3, 13 cf. Deut. 21, 23.

*Ὅτι γέγραπται Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου.*

**LXX.** [*οὐ κοιμηθήσεται τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ξύλου, ἀλλὰ ταφῇ θάψετε αὐτὸ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ*] *ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου.* (Plane eadem textus hexaplaris praebet.)

**VV. LL.** *κατηραμενος* codd. 8 Holm. praebent; cod. **B** (ex edit. Ang. Maii) *κεκαταραμενος*[2]). — *πας ο κρεμ.* (ut Paulus) habent **XI** et codd. 11 minusc.; itaque hac in re Paulus testium auctoritate videtur nisus esse.

Ita LXX viri satis recte reddiderunt hebraica: כִּי־קִלְלַת אֱלֹהִים תָּלוּי, nisi quod voci *κεκατηρ.* addunt *πας* et *επι ξυλον;* paulo ante enim de palo sermo fuerat. Utrumque etiam apostolus recepit, vocem

1) Apud LXX viros vox *παντοκρατωρ* (pro צבאות et שדי) saepius invenitur; cf. Schleusneri *thes.* IV p. 179. In novo test. autem praeter locum nostrum non nisi in Apocalypsi legitur.

2) Minime mirum est, quod codices illi octo in mira forma *κεκατηραμενος* offendentes reduplicationem ante praepositionem omiserunt; cod. B certe augmentum removit. Formam *κεκατηρ.* autem ad vitium scribarum referri non posse, docet locus Sir. 3, 16, ubi etiam cod. B habet *κεκατηρ.* (cod. Ephraemi rescriptus *κατηρ.*). Inde apparet, verbum illud notione praepositionis prorsus neglecta tanquam simplex tractatum esse; cuius rei exemplum etiam in novo test. habes in verbo *προφητευειν* (*επροφητευσαν* Matth. 11, 13; cf. 7, 22. 15, 7). Quod autem in forma *κεκατηραμενος* duplex exstat reduplicatio, idem a ratione dialecti illius non abhorret; certe augmenti duplicis exempla nonnulla affert Winer, *Gramm.* p. 67.

*κεκατηραμενος* praeterea mutans in *επικαταρατος*, qua voce LXX viri ubique (tricies sexies) hebraicum ארור reddiderunt. Ceterum eo facilius apostolus in mutationem illam incidere poterat, quod paulo ante (3, 10) similem Deuteronomii locum (27, 26) allegaverat: *οτι επικαταρατος πας κτλ.* Quod ad argumentum apostoli attinet, negari non poterit, vocem *πας* e versione Alex. contra textum hebr. receptam prae ceteris urgeri. Quod autem Paulus verba *υπο θεου* omittit, non temere videtur factum esse; Christum enim expresse exsecratum deo dicere, apostolo verecundum erat[1]). Cum autem exsecratio illa suspensorum maxime in eo posita esset, quod malefici ut deo devoti publice omnium oculis exponebantur[2]), apostolus satis habebat, ad ea Deuteronomii verba provocare, quibus quivis suspensus exsecrationi obnoxius dicebatur[3]).

## Locus LXXVII.

Ephes. 4, 8 cf. Psalm. 68, 19.

*Διὸ λέγει Ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν [καὶ] ἔδωκεν δόματα τοῖς ἀνθρώποις.*

**VV. LL.** **AL** al. 6 *aeth. utr. slav.* praebent *ηχμαλωτευσας* et *εδωκας* (cf. LXX); codd. 4 apud Wetst. adeo *αιχμαλωτευσας*. — Sola versio *slavon.* pro *εδωκας* reddit *ελαβες*; vide LXX.) — *και* omittunt **ℵAC** DEFG** 17. al. *ital. vulg. copt. slavon.;* Tischend. *και* recepit cum **BC*** et ***** D*** KL** al. fere omnibus, verss. *goth. syr. utr.* al. Orig. Cyr. Chrys. Theodrt. al. — Pro *τοις ανθρ.* in codices **FG** al. e LXX viris irrepsit *εν ανθρωποις* vel *εν ανθρωπω*.

**LXX.** *ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν, ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις* (*ed. Rom.*: *ανθρωπω*).

---

1) In eadem sententia invenio Bleekium (*Versuch einer vollst. Einl. zum Br. an die Hebr.* p. 349) et Baehrium (*Stud. u. Krit.* 1849. p. 928 sq.). Prorsus aliter Meyer iudicat in commentario.

2) Cf. Ewaldum, *die Alterthümer des Volkes Israel*, ed. III p. 420.

3) Cf. Wiesingerum ad h. l.: *das Gemeinsame, das Hängen und Schaustellen des Lebens am Holze ist gerade das den Fluch ausdrückende.*

**VV. LL.** B** et codices 97 Holm., edd. Complut. et Ald.: *ανεβης;* א (sed C[a] *ανεβης*) 115. 293. *ital.: ανεβη;* א *ital.: ηχμαλωτευσεν;* 142. 293: *ελαβεν*. Denique codices tres minusc. Holm. cum apostolo praebent *εδωκεν*. Cod. א autem post *ανεβη* et *ηχμαλωτευσεν* tertio loco habet *ελαβες*. Quae personarum variatio psalmi illius contextu satis explicatur. Cum enim tertia persona versum nostrum et antecedat et sequatur, facile scribae in altera persona *ανεβης* etc. offendebant. In codicibus autem nonnullis absque dubio utraque lectio exstabat, altera in textu, altera ad marginem. Inde factum est, ut alii utramque lectionem respicientes personas miscerent. At docet Itala, eiusmodi mutationes antiquissimis temporibus tribuendas esse. Etiam Pauli allegatio primum cum cod. **B** facit (*αναβας*), deinde autem cum codicis א al. lectione pergit. — Denique *εν ανθρωποις* א**B**** et codd. 105 minusc. praebent, edd. Complut. Ald. al.; **B*** *εν ανθρωπῳ*. — *τοις ανθρ.* solus cod. 276 habet (qui antea etiam *εδωκεν* cum Paulo praebebat). Cum igitur *και* in apostoli textu delendum, tertia autem persona ad antiquos testes referenda sit, Paulus eo tantum a versione recedit, quod pro *ελαβες δοματα εν ανθρ.* sensum contrarium praebet *εδωκεν δομ. τοις ανθρ.* — Bene autem respondent LXX viri hebraicis עָלִיתָ לַמָּרוֹם שָׁבִיתָ שֶּׁבִי לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם. Quomodo liberrima haec allegandi ratio, qua inde ab antiquissimis temporibus vehementer laborarunt interpretes, optime explicetur, non huius loci est multis exponere[1]). Nostrum erat, utriusque textus testibus diligenter comparatis ostendere, neque de varia lectione ulla neque de textus hebraici usu apud Paulum cogitari posse, imo versionis Alexandrinae mutationem apostolo ipsi tribuendam esse.

1) Ut quae nobis videntur breviter dicamus: docet iam paraphrasis chaldaica (וִיהַבְתָּא לְהוֹן מַתְּנָן לִבְנֵי נָשָׁא) et vetus syriaca, quam etiam Arabs sequitur, nec non Isaakii glossa ad h. l. (*dicendum est pro* לקחת וגו׳ *„accepisti dona ad distribuenda ea filiis hominum“*), Pauli allegationem ad interpretationem loci illius antiquissimam (cf. de eiusmodi allegationibus ad Haggadam pertinentibus Eisenmengeri *Entdecktes Judenth.* I p. 454 sq.) referendam esse. Nobis Riggenbach (*Stud. u. Krit.* 1855. p. 595), ad versum 36 eiusdem psalmi provocans, invitus verum veteris traditionis supra commemoratae fontem videtur investigasse.

## 2. Tabula locorum qui ad textum hebraicum propius videntur accedere.

### Locus LXXVIII.

Rom. 10, 15 cf. Jes. 52, 7.

*Καθὼς γέγραπται Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων [εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων] τὰ ἀγαθά.*

Verba uncis inclusa praebent **DEFGKL** al. fere omnes, verss. *ital. vulg. goth. syr. utr. arabb. armen. slavon.,* Eus. Chrys. Theodrt. Theoph. Oec. Iren. (interpr.) Tert. Hier. al.; omittunt autem **ℵABC** 47. 62. 71. 109. *copt. sahid. aeth. utr.,* Clem. Orig. Dam. Ruf. Epiph. (semel). Quae omissio facillime ex errore scribarum explicari posset, quorum oculi ab *ευαγγελ.* priore ad alterum aberrabant, nisi praeter codicum praestantissimorum **ℵABC** consensum etiam Clementis et Origenis testimonium obstaret. Docent autem versiones antiquissimae Itala et Syriaca, verba illa certe exeunte saeculo secundo in codicibus nonnullis graecis iam exstitisse, unde reliquorum et patrum et codicum lectio facile explicatur[1]. — *αγαθα* sine articulo praebent **ABCDEFG** 47. 178. Orig. Eus. Dam. (at cf. LXX); nos articulum cum **ℵD**** et *****KL** al. fere omnibus, Clem. Chrys. Theodrt. al. recepimus.

**LXX.** *ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά κτλ.* (Ita **ℵAB** nec non hexaplorum reliquiae et Vulg.)

Ita LXX viri reddunt hebraica: מַה־נָּאווּ עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם מְבַשֵּׂר טוֹב וגו׳; versionem eorum ad textus hebraici lectiones varias referri non posse, reliquae versiones graecae satis comprobant. Praebet enim Aquil.: *τι ωραιωθησαν επι τα ορη ποδες ευαγ-*

1) Meyer (in comment. ad h. l. p. 392) maxime hanc ob causam verba illa e LXX viris repetita esse negat, quod tum pro *ειρηνην* exspectandum fuerit *ακοην ειρηνης*; at cf. supra Aquilae lectionem.

γελιζομενον, ακοντιζοντος ειρηνην, ευαγγ. αγαθον κτλ. — Symm.: τι ευπρεπεις επι των ορεων ποδες ευαγγελιζομενου, ακουστην ποιουντος ειρηνην κτλ., quae nostro textui hebr. bene respondent. Quae autem in nostris LXX virorum exemplaribus leguntur, sensu plane carent. Nam si quis voci ωρα e Graecorum dicendi ratione veris notionem tribueret, non modo praedicatum omnino deesset, verum etiam verba sequentia (ως ποδες κτλ.) insani essent interpretis. Imo dubitari non potest, quin LXX viri ipsi (aeque ac Paulus) scripserint: ως ωραιοι οι ποδες κτλ. Recte hoc iam Vitringam[1]) monuisse, omnium locorum docet comparatio, quibus LXX formas נָאווּ, נָאוֹת, נָאוָה graece reddiderunt. Nusquam enim in eiusmodi locis vocem ωρα invenies, sexies autem ωραιος (Joel 1, 19 et 20. Cant. 2, 14. 4, 3. 6, 3. Thren. 2, 2), praeterea semel: τι ωραιωθησαν (Cant. 1, 10). Inde apparet, locum nostrum eorum numero ascribi non potuisse, qui consulto a Paulo ad normam textus hebr. videntur emendati. Nam lectione ωρα in ωραιοι et ως ποδ. in οι ποδ. mutata nec non voce ως ante ευαγγ. alterum deleta, LXX virorum textus hebraico satis respondet, nisi quod משמיע falso substantivum acceperunt (quasi esset שמועה sive משמע, *rumor, auditio*). Apostolus igitur eo ab utroque textu recedit, quod verba επι των ορεων ut argumento suo parum consona omisit, pro ευαγγελ. (iterum e contextus sui indole) pluralem numerum praebet, reliqua in brevius contraxit.

## Locus LXXIX.

1 Cor. 14, 21 cf. Jes. 28, 11 sq.

*Ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέρων* (Tischend. *ἑτέροις*) *λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ καὶ οὐδ' οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει κύριος.*

**VV. LL. FG**: ετεραις γλωσσαις (cf. quae sequuntur χειλεσιν ετεροις). — χειλ. ετεροις praebent **DEFGKL** al. plerique, verss. ut vidtr. omnes, Orig. Chrys. Theodrt. al.; contra ετερων **ℵAB** al. 8, codd. minusc.

1) Cf. *Comm. in Jesaiam, ed. Herborn.* II. p. 756; cf. etiam Bleekium, *Einleitung in den Br. an die Hebr.*, nota 470.

apud W e t s t. et S c h o l z. (inter quos 17. 67** al.). Ut de consensu codicum ℵAB taceamus, lectio *ετερων* ut difficilior longe praeferenda erit [1]).

**LXX.** *διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας, ὅτι λαλήσουσι τῷ λαῷ τούτῳ . . . καὶ οὐκ ἠθέλησαν ἀκούειν.* (Sine notabili lectionum varietate.)

**Hebr.** כִּי בְּלַעֲגֵי שָׂפָה וּבְלָשׁוֹן אַחֶרֶת יְדַבֵּר אֶל־הָעָם הַזֶּה-- --וְלֹא אָבוּא שְׁמוֹעַ h. e. *nam per balbutientes labiis et lingua peregrina loquetur (deus) ad hunc populum — sed audire nolebant* [2]). LXX igitur vocem raram לָעֵג confuderunt cum לַעַג, quod in loco Hos. 7, 16 eodem vocabulo reddunt „*φαυλισμος*". Itaque totius loci sensum fere hunc statuerunt: quemadmodum perversi illi homines (cf. Jes. 28, 9 sq.) prophetam irriserunt, ita per irrisionem labiorum i. e. per labia irridentia deus ipsos alloquetur. Quae interpretatio etiamsi minus accurata dicenda est, tamen a propria prophetae sententia non nisi eo recedit, quod pro deo ipso alios (nempe hostes illos populi) loquentes facit. P a u l u s ad Jesaiae locum illum provocans lectores hortatur, ne glossolaliae per se inutili nimiam auctoritatem tribuant. Scriptum enim esse in lege, deum per diverse loquentes et labiis diversis (h. e. ex apostoli sententia: quam quae plerumque usui erant) locuturum esse ad populum contumacem, at ne ita quidem eos audituros esse. Inde apparere, male Corinthios perpetuo linguis illis diversis uti, quippe quae inefficaces sint et ad alliciendos paganos et ad monendos fratres. Totius igitur argumenti summa in verbis extremis videtur posita, quae apostolus liberrime ita reddit: *και ουδ' ουτως εισακ. μου.* Jesaiae locum autem non ut vaticinium expresse de glossolalia editum, sed ut ita dicam analogiae causa affert; tertium comparationis, quod dicunt, in sermonis obscuritate positum est [3]).

---

1) Cf. etiam M e y e r i notam criticam ad h. l. in comment. p. 320.

2) Ita G e s e n. K n o b. H i t z. D e l., homines balbutientes i. e. barbare loquentes ad Assyrios referentes; solus E w a l d de tonitru terribili cogitat (at cf. Jes. 33, 19 עִם נִלְעַג לָשׁוֹן).

3) Cf. inpr. B l e e k i u m, *De notione verborum γλωσσαις λαλειν, Stud. u. Krit.* 1829. p. 71. et W i e s e l e r u m, *Ueber das γλωσσ. λαλ., Stud. u. Krit.* 1838. p. 734 sq.

Apostolum prophetae verba ita allegantem versionis Alex. certe memorem fuisse, primum retenta particula *οτι* docet (LXX *οτι λαλησ.*). Deinde *εν χειλεσιν ετερ.* scribenti versionis illa *δια γλωσσης ετερας* ob oculos videntur versata esse. Denique formula *λαλησω τω λαω τουτω* praeter mutatam personam plane cum LXX viris convenit. In reliquis autem omnibus, exceptis verbis prioribus, magis etiam quam LXX a textu hebraico recedit, voci ידבר primam personam substituens, *λεγει κυριος* e suis addens, verba extrema recte a LXX viris reddita liberrime mutans; primum enim *ουδ' ουτως* (quae verba maxime ad illustrandam apostoli sententiam faciunt) iterum e suis addit, deinde praeterito אבוא שמוע substituit *εισακουσ. μου.* Habebat enim, cur adhibito tempore futuro typicam illius loci interpretationem magis etiam premeret.

Restat ut de verbis prioribus, quae maxime in censum veniunt, accuratius etiam quaeramus. Quorum versione Alex. apostolus pro allegationis suae fine uti non poterat; non de *irridentium* linguis sermo erat, sed de *balbutientibus, obscure loquentibus.* Itaque eandem notionem (inverso simul versionis Alex. ordine) bis reddere maluit: *εν ετερογλωσσοις και εν χειλ. ετερων*, bis simul pro argumento suo pluralem numerum substituens, ut vocem *γλωσσαι* (cf. v. 22) magis urgeret. Jam cum verbo לעג proprie notio *balbutiendi* insit *(unverständlich reden)*, hac ex parte Paulus propius accedit ad verba hebraica, quam versionis Alex. illa: *δια φαυλισμ. χειλεων.* Minime autem video, quomodo Meyer, Wieseler, Bleek[1]) ex hac verborum mutatione apostolo propriam textus hebraici versionem tribuant. Primum enim *balbutiendi* notio accuratius reddenda erat, quam: *εν χειλεσιν ετερων*, deinde manifestum est, apostolum ipsis LXX virorum verbis *δια γλωσσης ετερας*, quae libere reddit *εν ετερογλωσσοις*, adductum fuisse, ut etiam prioribus (*δια φαυλισμ. χειλ.*) simpliciter substitueret *εν χειλεσιν ετερων.* Denique utrique formulae notionem eandem *obscure loquendi* tribuit, cum certe verba בלשון אחרת aperte peregrinam linguam respiciant.

1) *Einleitung zum Br. an die Hebr.* p. 352.

Quae Montefalconius in hexaplorum reliquiis (iterum sub siglo *Αλλ.*) ut variam LXX virorum lectionem affert: *εν ετερογλωσσοις και εν χειλεσιν ετεροις λαλησω τω λαω τουτω*, ipsam Pauli allegationem esse luce clarius est. Sane Origenes ipse in *Philocalia* cap. IX[1]) ad Pauli locum illum adnotat: *ευρον τα ισοδυναμουντα τη λεξει ταυτη εν τη του Ακυλου ερμηνεια κειμενα.* Cum Aquilae versio non servata sit, quaerendum erit, quem sensum voci *ισοδυναμουντα* tribuamus. Aquilam, quem hebraica quam diligentissime ad verbum reddidisse constat, Jesaiae locum tam libere vertisse minime verisimile est; deinde quomodo utriusque et Pauli et Aquilae consensus explicari possit, plane non video. Origenes autem secundum verborum ipsius contextum (*αλλα και η του Ησαιου προφητεια νομος παρα τω Αποστολω λεγεται, φασκοντι· εν τω νομω κτλ. — ευρον γαρ κτλ.*) hunc in finem ad Aquilae versionem videtur provocasse, ne quis de fonte allegationis illius dubitaret, quoniam etiam apud Aquilam (nempe in eodem Jesaiae loco) similia legerentur. Inde apparet, Origenis illud „*ισοδυναμουντα*" latiore sensu accipiendum esse: *similia* sive *ex parte consona*.

---

## 3. Tabula locorum qui aeque ab utroque textu recedunt.

### Locus LXXX.

Rom. 9, 25 cf. Hos. 2, 3. 25.

*Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην.*

LXX Hos. 2, 25: *καὶ ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου Λαός μου εἶ σύ κτλ.*

Codd. **A XII** minusc. 25 Theoph. vss. aliquot: *και ελεησω την ουκ ηλεημενην.* Paulus igitur hoc loco iterum Vaticani lectionem sequitur. Ceterum codicis **A** al. lectio melius quadrat ad textum hebraicum: וְרִחַמְתִּי אֶת־לֹא רֻחָמָה וְאָמַרְתִּי לְלֹא־עַמִּי עַמִּי־אַתָּה

1) Orig. *opp. omnia*, ed. Lommatzsch, tom. XXV, p. 56.

Hos. 2, 3: *εἴπατε τῷ ἀδελφῷ ὑμῶν Λαός μου καὶ τῇ ἀδελφῇ ὑμῶν Ἠλεημένῃ*[1]).

**Hebr.** אִמְרוּ לַאֲחֵיכֶם עַמִּי וְלַאֲחוֹתֵיכֶם רֻחָמָה

LXX viri igitur in priore hemistichio legentes אֲחִיכֶם (inde *αδελφω*) etiam in altero singularem numerum substituerunt. Apostolum proprie de loco 2, 25 cogitasse, docet vox *ηγαπημενη;* at simul alterius loci (2, 3) memor ordinem verborum paulo mutabat. Quomodo autem in verbum *καλεσω* inciderit, e capitis primi versu sexto perspicuum est: *καλεσον το ονομα αυτης Ουκ ηλεημενη.* Itaque tres versus apostolus memoriter in unum contraxit, semper e versione Alex. aperte pendens.

## Locus LXXXI.

Rom. 9, 33 cf. Jes. 28, 16. 8, 14.

*Καθὼς γέγραπται Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου καὶ ὁ πιστεύων ἐπ᾽ αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται.*

**VV. LL.** *ο πιστ.* cum **אAB** (testibus Vercell. et Tischend.; Ang. Maius falso edidit *πας ο πιστ.*) **DEFG** 47. *d e f g* al. — *πας* (e loco Rom. 10, 11) praemittunt **KL** al. plerique, *vulg.* al. — **DEFG**: *ου μη καταισχυνθη* (vide LXX) contra **אAB** al.

**LXX** Jes. 28, 16: *ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ ἐκλεκτὸν ἀκρογωνιαῖον ἔντιμον εἰς τὰ θεμέλια αὐτῆς καὶ ὁ πιστεύων [ἐπ᾽ αὐτῷ] οὐ μὴ καταισχυνθῇ.*

**VV. LL.** Codd. **א A XII 23** et minusc. 14: *εμβαλω.* Utra lectio praeferenda sit, ad Pauli locum non pertinet. De verbis extremis (*και ο πιστ. κτλ.*) vide locum nostrum LXVIII (Rom. 10, 11).

**Hebr.** הִנְנִי יִסַּד בְּצִיּוֹן אָבֶן אֶבֶן בֹּחַן פִּנַּת יִקְרַת מוּסָד מוּסָּד הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ h. e. *ecce me, qui fundavit in Zione lapidem, lapidem probationis, lapidem angularem pretiosum fundatae fundationis; qui fidem habet,*

1) *ηγαπημενη* etiam hoc loco codd. 23 et 239 Holm. praebent, absque dubio lectionem versus 25 imminiscentes.

*non celeriter fugiet.* LXX igitur יסד uberius verterunt: *εμβαλλω εις τα θεμελια* (etiam Aquil. et Symm. fortasse legentes יְסֹד reddunt *θεμελιῶν*). Reliquorum autem verborum versionem ita ortam existimo: coniungebat interpres utramque אבן, quasi dictum esset *lapidem lapidum;* inde vertebat: *lapidem pretiosum (magnificum).* Deinde בחן, magis ut videtur opinione quadam quam accurata verborum constructione ductus, non male reddebat *εκλεκτον;* prorsus autem in verbis sequentibus (*εις τα θεμελια*) aberravit, *fundationi* fundamenta substituens. De verbis extremis iterum vide locum nostrum LXVIII.

Jes. 8, 14 cod. **B**: *κἂν ἐπ᾽ αὐτῷ πεποιθὼς ᾖς, ἔσται σοι εἰς ἁγίασμα, καὶ οὐχ ὡς λίθου προσκόμματι συναντήσεσθε* (**אA** addunt *αὐτῷ*) *οὐδὲ ὡς πέτρας πτώματι κτλ.*

**Hebr.** וְהָיָה לְמִקְדָּשׁ וּלְאֶבֶן נֶגֶף וּלְצוּר מִכְשׁוֹל h. e. *et erit* (sc. Jehova) *sanctuarium et (sed etiam) lapis offensionis et rupes labendi.* Quomodo LXX viri in versionem suam admodum perversam inciderint, difficile est dictu. Verba *καν επ αυτω πεποιθως ης* e versu antecedente (8, 13) repetita videntur; certe in nostro LXX virorum textu extrema verba eius (והוא מעריצכם) desunt; item *σοι* post *εσται* e suis addiderunt. Quae deinde sequuntur prorsus inepta sunt [1]); ante omnia verba extrema (*οι δε οικοι Ιακωβ εν παγιδι και εν κοιλασματι εγκαθημενοι εν Ιερουσαλημ*) eiusmodi sunt, ut de textus integritate dubitare possis.

Quod ad apostoli allegationem attinet, docet versus antecedens (32), ubi lapidis offendiculi mentio fit, Paulum proprie de loco Jes. 8, 14 cogitasse, quippe qui Messiam lapidem offendiculi diceret. Simul autem alter Jesaiae locus in mentem apostoli inciderat, ut qui lapidem illum a deo fundatum denotaret. Itaque primum hunc locum affert, mox autem ad priorem redit. Integram apostoli alle-

1) Mihi quidem maxime verisimile est, interpretem illum legisse (ne dicam: legere opinatum esse) ולאבאבן, quae ita solvebat: ולא באבן, praeterea ב prius cum כ confundens. Alias certe particula *ουχ ως* nullo modo explicari potest. Interpretatione autem priorum verborum sic instituta, eadem ratione pergendum erat: *και ως πετρ. πτωμ.* Quae cum sensu etiam carerent, verbum *συναντησ.* e suis supplevit.

gationem memoriter fieri, iam verba priora aperte demonstrant. Versionis enim illa *ιδου εγω εμβ. εις τα θεμ.* multo simplicius reddit: *ιδου τιθημι* [1]). Lapidis autem mentione habita subito ad proprium argumentum pergit, iterum loci alterius (Jes. 8, 14) summam libere allegans. Apostolum autem re vera lapidis mentione adductum esse, ut ad capitis octavi verba transiret, maxime eo comprobatur, quod voci *λιθον* plane idem vocabulum addit, quod illic post *λιθου* legitur (*προσκομμ.*). Quae antecedunt: *εσται σοι εις αγιασμα* simpliciter omittit; non minus e sequentibus non nisi ea depromit, quae ad argumentum vere pertinent. Proprie pergendum erat: *και πετραν πτωματος;* sed quemadmodum antea casus mutaverat (vide LXX), ita nunc vocabulo minus usitato *πτωμα* [2]) eam vocem substituit, qua LXX viri praeterea hebr. מוקש vel מכשול reddere solent [3]). Cum autem hoc comprobare sibi proposuisset, Judaeos in lapide illo offendentes ad legem iustitiae pervenire non potuisse, iterum ad priorem Jesaiae locum redit, versionis verba extrema simplicius ita recipiens: *και ο πιστ. επ' αυτω ου καταισχυνθησεται.* Vides igitur, vel liberrimam utriusque loci allegationem et e versionis Alex. verbis et ex argumenti apostolici fine ita explicari posse, ut minime habeamus, cur cum Bleekio de textus hebr. usu cogitemus.

---

1) Quominus haec ad normam textus hebraici emendata dicamus (cf. Bleekium, *Einleitung zum Br. an die Hebr.* p. 354) prohibent verba sequentia, quae prorsus a propheta recedunt.

2) *πτωμα* in novo test. nusquam, ut apud LXX, *lapsum* vel *interitum*, sed ubique *corpus collapsum* (*cadaver*) significat, cf. Matth. 24, 28. Marc. 6, 29. Apoc. 11, 8 sq.

3) Cf. Schleusneri *thes.* sub voce *σκανδαλον*. In Pauli epistolis idem vocabulum sexies legitur: Rom. 14, 13 coniunctum cum *προσκομμα*, Rom. 11, 9 (e Ps. 69) coniunctum cum *παγις*, 1 Cor. 1, 23. Gal. 5, 11. Rom. 16, 17. In hexaplorum reliquiis Aquil. et Symm. certe in altero hemistichio reddunt *σκανδαλον*. Mirum est quod etiam in loco 1 Petr. 2, 7 verba *λιθος προσκομμ. και πετρα σκανδαλου* coniuncta leguntur. Apostolus voce *σκανδαλον* fortasse cavebat, ne quis de propria *πτωματος* notione cogitaret.

**Locus LXXXII.**

Rom. 11, 8 cf. Jes. 29, 10. Deut. 29, 3.

*Καθὼς γέγραπται Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.*

**LXX** Jes. 29, 10: *ὅτι πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι* (א et 309 Holm. *πνεῦμα*) *κατανύξεως καὶ καμμύσει τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν κτλ.*

Ita LXX minus accurate reddiderunt hebraica: כִּי־נָסַךְ עֲלֵיכֶם יהוה רוּחַ תַּרְדֵּמָה וַיְעַצֵּם אֶת־עֵינֵיכֶם h. e. *nam effudit supra vos Jehova spiritum soporis alti et colligavit oculos vestros.* LXX viri, תרדמה voce *κατανυξεως (compunctionis)* vertentes, non de *νυσταζειν* cogitaverunt, sed relicta soporis imagine *vesaniae vel ebrietatis* notionem intulerunt [1]).

Deut. 29, 3: *καὶ οὐκ ἔδωκε κύριος ὁ θεὸς ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι καὶ ὀφθαλμοὺς βλέπειν καὶ ὦτα ἀκούειν ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης* (cod. **A**: *τοῦ βλέπειν καὶ τὰ ὦτα*).

**Hebr.** וְלֹא־נָתַן יהוה לָכֶם לֵב לָדַעַת וְעֵינַיִם לִרְאוֹת וְאָזְנַיִם לִשְׁמֹעַ עַד הַיּוֹם הַזֶּה, quibus LXX viri satis respondent.

Vides igitur, apostoli allegationem ex utroque loco paene inseparabiliter coniunctam esse [2]). Mihi autem maxime verisimile videtur, Paulum primo loco de Jesaiae vaticinio cogitasse; memoriter allegans (unde etiam pro *υμας* praebet *αυτοις*) voci *πεποτικεν* verbum latioris substituit notionis, fortasse soni similitudine quadam (inter *πεποτ.* et *εδωκεν*) a proprio textu deductus. Accurate deinde sequuntur verba *πνευμα καταν.;* at iam in mentem apostoli alter ille locus inciderat verbis similibus incipiens; ad hunc igitur subito integra transit oratio, apposita simpliciter negatione (*του μη βλεπειν*: negatio-

1) Cf. Schleusneri *thes.* III p. 235.

2) Quid quod Origenes al., Pauli locum e vetere test. repetitum esse, omnino negabant.

nis causa etiam *του* addendum erat). Extremis denique verbis *εως της ημερας ταυτης* libere substituit *εως της σημ. ημ.*, quae dicendi formula apud LXX viros non raro legitur; cf. Gen. 19, 37 sq. Num. 22, 30. Ezech. 20, 31 al.

### Locus LXXXIII.

1 Cor. 15, 54 cf. Jes. 25, 8.

*Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος Κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος.*

**LXX.** *κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας.*

Hexaplorum reliquiae haec habent: Aquil. *καταποντισει τον θανατον εις νικος.* Symm. *καταποθηναι ποιησει τον θαν. εις τελος.* Theod. *κατεποθη ο θανατος εις νικος* [1]).

Verba hebraica, quae hodie legimus, בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח, nihil aliud significare possunt nisi: *absorpsit* (sc. deus cf. v. 6) *mortem in aeternum.* De varia lectione (בֻּלַּע) iam propter versiones Aquilae ac Symmachi cogitari non potest; ceterum בִּלַּע etiam Jes. 19, 3. Psalm. 21, 10. 55, 10 de deo hominum consilia vitam linguas tollente et tanquam absorbente legitur. Non minus vocis לנצח versio *penitus* vel *prorsus* (inde iam Saadia: *delet debilitatem exstinctione extrema*) ferri non potest. Imo tantum abest, ut prophetae effatum simpliciter de tollendis populi calamitatibus vel de vitae statu feli-

1) Theodot. igitur accurate Paulum sequitur. Cum interpretes nonnulli affirment, saepius hoc Theodotioni accidisse, in omnes eius locos, qui etiam in novo testamento allegantur, inquisivi. Exstant sane praeter locum nostrum quattuor alii, quorum versio e novo test. videtur pendere. Tres autem (Hos. 11, 1 cf. Matth. 2, 15. Jes. 42, 1 cf. Matth. 12, 18. Psalm. 51, 6 cf. Rom. 3, 4) eiusmodi sunt, ut textus hebr. aliam versionem vix admittat; in quarto (Zach. 12, 10 cf. Joh. 19, 37. Apoc. 1, 7) propter verbum *εξεκεντησαν* (דקרו LXX *κατωρχησαντο*) de novi test. usu cogitari non potest, cum etiam Aquil. et Symm. reddant *εξεκεντησαν*. Inde verisimillimum nobis videtur, Pauli allegationem ut variam lectionem in hexapla illatam, postea autem a scriba quodam proprii fontis nescio Theodotioni falso ascriptam esse. Huc accedit, quod nemo patrum consensus illius Pauli cum Theodotione mentionem facit, imo Montefalconius Theodotionis et Aquilae lectiones imperfectas e manuscripto Jesuitarum a Curterio allatas dicit.

ciore hominumque longaevitate accipiatur, ut plane cum novi test. sententia de tollenda morte prolata conveniat (cf. 1 Cor. 15, 26. Apoc. 21, 4).

Primum autem quaerendum erit, quomodo LXX viri Jesaiae locum interpretati sint. *Κατεπιεν ο θαν. ισχυσας* proprie est: *absorpsit mors praevalens* h. e. *ratione victrici.* Subiectum igitur negligentes sensum e contrario oppositum effecerunt; voci נצח autem similiter atque Aquilas *victoriae* notionem tribuerunt a Syrorum et Chaldaeorum verbo נְצַח repetitam[1]), fortasse quod falsa antecedentium versio *κατεπιεν ο θαν.* notionem aeternitatis prorsus excludebat.

Ut iam ad Paulum transeamus, allegationis finis is erat, ut huius aevi corruptibilitatem (cf. v. 54: *το φθαρτον τουτο*) tanquam victam diceret et consumtam immortalitate. Quem in finem falsa LXX virorum versione uti non poterat. At quamvis accurata textus hebr. interpretatio ad Pauli argumentum optime quadrasset, tamen etiam hoc loco apostolum e versione Alexandr. pendentem videmus. Ac primum quidem eorum vocem *καταπινειν* retinuit, illud *ισχυσας* autem eam in formulam vertit, quam alias apud LXX invenerat: *εις νικος* (cf. Jer. 3, 5. Thren. 5, 20. Am. 8, 7. 2 Sam. 2, 26 al.) i. e. *absorpta est mors in victoriam* (ut victoria manifesta inde sequeretur). Inde apparet, certi quid statui non posse, utrum apostolus consulto ad verba hebraica redierit, an ipsa versionis verba pro allegationis suae fine libere mutaverit. Mihi quidem minime dubium est, quin apostolus proprii verborum sensus *(absorpsit deus mortem)* recte memor totum membrum libere in passivum genus verterit. Mortem enim etiam e Pauli sententia per deum absorptum iri, apparet ex eiusdem capitis v. 25 sq. — Quod autem Paulus hoc potissimum loco verborum hebraicorum memorem se praestat, fortasse loci

1) At Chaldaeus interpres ipse praebet: לעלמין h. e. *in saecula*; Syrus interpres utramque notionem et victoriae et aeternitatis iungit. Ceterum LXX in reddenda voce לנצח parum sibi constant; decies septies verterunt *εις τελος* (*penitus?*), sexies *εις τον αιωνα*, quinquies *εις νικος*. In Jesaiae versione non nisi nostro in loco praebent *ισχυσας*, ter *εις τον αιωνα*.

illius celebritate quadam ac sollemnitate, quae tanquam in proverbium abierat, explicatur. Textus hebraici, inquam, fortasse memor erat; tamen pro allegationis ipsius forma non habemus, cur locum nostrum ad normam textus hebr. emendatum dicamus.

## Locus LXXXIV.

1 Cor. 15, 55 cf. Hos. 13, 14.

*Ποῦ σου θάνατε τὸ νῖκος; ποῦ σου θάνατε τὸ κέντρον;* (Tischend. verba *νικος* et *κεντρον* inverso praebet ordine.)

**VV. LL.** 1. Ordo verborum: *που σου θαν. το κεντρ., που σου θαν. το ν.* est in codicibus **A**** (**A*** hemistichium alterum omittit) **DEFG KL** al. longe plerisque, *ital. goth. syr. utr. arabb. aeth. post. slav.* Orig. (semel) Eus. Ath. (semel) Epiph. Cyr. Hieros. Chrys. (bis) Theodrt. Iren. (interpr.; semel) Tertull. (semel) al. — Contra ordinem *νικος . . κεντρον* praebent **ℵBCIM** 17. 71. *vulg. copt. aeth. rom. armen.* Eus. Ath. (semel) Did. Greg. Nyss. Cyr. Hieros. (semel) Bas. Iren. (semel) Tertull. (semel) Hieron. Ambr. al.

2. Bis *θανατε* praebent **ℵ** (de **A** vide supra) **BCDEFGI** 39. 67** *ital. vulg. copt.* al. Eus. Ath. Nyss. Iren. Tertull. al. permulti; pro *θανατε* altero (ante *το νικος*) praebent *ᾅδη* : **ℵ**c**A**KL** al. plerique, *goth. syr. utr.* al. Orig. al. fortasse maiorem cum LXX viris consensum appetentes, quod in repetita voce *θανατε* offendebant. At ut codicum praestantissimorum consensum omittamus, iterata mortis mentio optime quadrat ad argumentum apostoli verbis acerrimis de morte tanquam de persona hostili triumphum agentis.

Difficilius est de primario verborum *κεντρον* et *νικος* ordine iudicatu. At primum codicum **ℵBC** consensus maioris est momenti, quam codd. **A**DE**, praesertim cum **A**** praeterea deteriorem textus formam praebeat (*αδη* pro *θανατε*). Huc accedit causa e Pauli ipsius contextu repetita. Multo magis enim verisimile est, apostolum ratione modo habita victoriae de morte deportatae (cf. v. 54) primo loco iterum de victoria morti erepta (inde *νικος* pro LXX vi-

rorum *δικη*) cogitasse. Illum autem ordinem (*κεντρον ... νικος*) inde in codicibus nonnullis ortum esse puto, quod voce *αδη* e LXX viris in hemistichium alterum illata *κεντρον* melius quadrare videbatur ad *θανατε*, *νικος* ad *αδη*. Itaque re vera omnes, qui *αδη* praebent, mutatum sequuntur ordinem, reliqui mutatum quidem ordinem recipiebant, at primariam lectionem *θανατε* tamen tenebant. Codices **אBC** autem in eo sibi constant, quod neque *αδη* receperunt neque primarium inverterunt ordinem [1]).

**LXX** (codd. **AB**, hexapl. reliquiae; **א** deficit): *ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη;*

Pro *δικη* praebent *νικη* codd. tres minusc. Holm., Cyr. Alex. (loco uno) versio *armen.*, omnes fortasse Pauli allegationem respicientes.

**Hebr.** אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל i. e. *ubi* [2]) *sunt pestes tuae, o mors, ubi aculeus tuus (lues tua?) o hades.* Vocem דבריך ad דֶּבֶר, non ad דָּבָר referendam esse (etiamsi pluralis *pestes* non nisi hoc loco legitur), docet locus Psalm. 91, 6, ubi in altero hemistichio est דֶּבֶר, in altero קֶטֶב. Vocem קֹטֶב autem LXX recte derivarunt a radice קטב *(secuit, excidit;* inde קֹטֶב proprie est *ictus:* cf. קֶטֶב *excidium).* At sine dubio recta traditione ducti voci קֹטֶב instrumenti notionem tribuerunt (*κεντρον*). In universum igitur LXX Hoseae locum recte reddiderunt, nisi quod in vertenda voce דבריך de substant. דָּבָר cogitarunt. *Verba* autem illa de sententia damnatoria intelligebant, unde verterunt: *που η δικη σου* (cf. *δικη* eodem sensu usurpatum Act. 25, 15). Eadem ratione Aquil.: *που εισιν οι λογοι σου.*

---

1) Vehementer miror, quomodo Meyer (in comment. p. 349) ordinem *νικος ... κεντρον* e LXX viris illatum dixerit. Non enim vidit vir doctissimus, ordinem illum, quem praestantiorem iudicat, eorum potius esse, qui vocem *αδη* (secundum ipsius Meyeri iudicium falso) e versione intulerunt.

2) Vocem אהי ad radicem היה referre frustra tentarunt interpretes. Simplex enim אהי nusquam legitur in codice hebraico; etiam in loco Ez. 11, 16, quem Gesen. affert, formam ואהי invenis. In loco autem Hoseae 13, 10, qui proxime antecedit, verba אהי מלכך אפוא aperte significant: *ubi tandem rex tuus?* Absque dubio forma אהי pro אַיֵּה cum Boettchero (*Ausführliches Lehrbuch der hebr. Sprache*, I p. 259), qui legere mavult אֱהִי, ad Hoseae dialectum Ephraimiticam referenda erit.

Paulum prophetae locum non nisi memoriter allegasse vel potius orationi suae inseruisse, et formulae allegandi defectus et acer totius orationis impetus aperte demonstrat. Hoseae verbis triumphantibus, qualia in mentem forte inciderant, tanquam suis utitur, de morte per Christum abrogata triumphans. Quare soni similitudine deductus (cf. δικη et νικος vel νικη) sollemne vocabulum praecedentis allegationis (νικος) retinet nec non pro αδη alterius hemistichii iterum mortem increpat, ad quam tota pertinet oratio.

---

Restat etiam, ut quam brevissime, quid quaestione nostra de allegationum textu instituta efficiatur, exponamus. Accurate cum versionis Alex. textu consentientes probavimus locos triginta quattuor. Etiamsi hoc concedendum erit Bleekio, inprimis minoris ambitus locos accurate secundum LXX viros allegari, tamen inter triginta quattuor illos leguntur novem, qui latioris ambitus dicendi sunt (Rom. 3, 4. 13. 4, 7—8. 8, 36. 9, 29. 10, 18. 12, 20. 15, 21. Gal. 4, 27). Huc accedit, quod loci in serie tertia a nobis enumerati partim testibus antiquis a textu LXX virorum apud nos recepto diversis nituntur (cf. Rom. 3, 15—17. 9, 26. 11, 34. 2 Cor. 9, 7 al.), partim tam leviter a versione Alex. recedunt, ut singulorum dissensus mere ad memoriae lapsum referendus sit. Non pauci enim non nisi ordine verborum mutato sive uno tantum vocabulo a LXX viris dissentiunt. In serie quarta loci Rom. 1, 17 (ubi Paulus μου omittit) 9, 17 (ubi ἐξηγειρα legimus pro διετηρηθης) iterum uno tantum vocabulo a versione recedunt. Locus Rom. 12, 19 autem quum magna ex parte cum LXX consentit, tum absque dubio in certam illam allegandi formam abierat, ut de nova textus hebr. versione a Paulo instituta cogitare vix liceat. De locis e Jobi libro repetitis (Rom. 11, 35. 1 Cor. 3, 19) uberius supra disputavimus (cf. p. 69 sq.). — In serie quinta locos enumeravimus duodecim, qui longius quidem ab utroque textu recedentes tamen propius ad LXX virorum quam ad codicis hebraici textum accedunt. Locus Rom.

3, 10—12 non nisi in versu decimo a psalmi verbis, 10, 6—8 non nisi in septimo versu a Deuteronomio aberrat; porro loci Rom. 10, 11. 14, 11. Gal. 3, 13. Eph. 4, 8 uno tantum vocabulo, Rom. 11, 26 sq. non nisi paucis a LXX viris differunt. Qui sequuntur loci, 1 Cor. 15, 25 et 27, a Paulo sine ulla allegandi formula minus accurate secundum versionem Alex., loci 2 Cor. 6, 16—18 memoriter quidem et minus accurate, at ita omnes afferuntur, ut verborum consensus quidam cum versione Alex. maxime sit perspicuus. — Propius ad textum hebr. accedentes diximus locos Rom. 10, 15. 1 Cor. 14, 21. At prior locus non nisi propter corruptam lectionem, quae in nostris LXX virorum codicibus exstat, huic tabulae ascribendus erat; quod attinet ad alterum, certe hoc manifestum est, Paulum verborum versionis Alex. bene memorem fuisse. — E locis iis, quos aeque ab utroque textu recedentes diximus, Rom. 9, 25. 33. 11, 8 aperte obiter ac memoriter, itaque minus accurate e LXX viris afferuntur, quod iam ex eo videre licet, quod omnes e locis binis diversis conserti sunt. Locus 1 Cor. 15, 54 etiamsi prorsus a versione Alex. abhorret, tamen verbum κατεπιεν aperte demonstrat, apostolum de κατεποθη illo LXX virorum certe cogitasse; ceterum apostoli versio textum hebr. magis etiam excedit, quam Alexandrina. Denique qui sequitur locus 1 Cor. 15, 55 quum allegationis formula prorsus caret, tum versionis verba paucis mutatis aperte respicit.

Omnium igitur locorum octoginta quattuor, quos enumeravimus, ratio haec est: Accurate cum versione Alex. consentiunt loci **34**. Leviter tantum a LXX viris recedunt (assumtis etiam e serie quarta locis Rom. 1, 17. 9, 17; e quinta Rom. 3, 10—12. 10, 11. 14, 11. 1 Cor. 15, 25. 27. Gal. 3, 13. Eph. 4, 8. Rom. 10, 15) loci **36**. Longius recedunt a versione Alex., ita tamen ut dissensus iterum ad liberam allegandi rationem referendus videatur, loci **10**. Longius recedunt, at ita ut verborum versionis cognitio negari non possit, loci **2** (Rom. 12, 19. 1 Cor. 14, 21). Versione Alex. prorsus relicta cum textu hebr. consentiunt loci **2** e Jobo allati, cuius versionem apostolo ignotam fuisse verisimillimum est.

Vides igitur, eo nos adduci, ut Paulum exceptis locis illis duobus ubique e versione Alex. pendentem dicamus, cum e locis octoginta duobus 34 accurate, 48 liberius, quod memoriter, secundum LXX viros afferat. Ex his simul videre licet, num recte iudicent ii (quorum in numero vel Bleekium invenis), qui apostolum *fere semper* cum LXX viris fecisse, at textu eorum gravius aberrante ad hebraicam veritatem rediisse affirmant. Imo equidem ex his omnibus persuasum mihi habeo, apostolum *nusquam consulto* versionem Alex. reliquisse, etiamsi hoc concedo, in allegandis locis perpaucis (fortasse huc referendi sunt Rom. 12, 19. 1 Cor. 15, 54) Paulum textus hebraici aeque ac versionis Alexandr. fuisse memorem.

Quam quaestionem praeterea Koppe[1]) movit, num apostolus libere vetus testam. allegaverit, an librum evolvendo, tabulis a nobis propositis aliqua ex parte ad finem perducitur. Paulus enim cum locos 48 libere i. e. absque dubio memoriter afferat, reliqui autem 34, qui accurate versioni respondent, quum brevioris sint argumenti tum ad eximiam inprimis pentateuchi, Jesaiae, psalmorum cognitionem referri possint (ex his enim accurate afferuntur loci 31) locos omnes memoriter a Paulo laudatos dicere minime dubito. Ceterum bene monet Koppe, propter librorum illius temporis indolem, quippe qui et maioris fuerint ambitus, quam qui in itineribus facile circumferrentur, et capitum ac versuum distinctione prorsus caruerint, aliam allegandi rationem exspectari non posse.

---

1) *Nov. test. graec.* Vol. I. excursus I, *loca veteris test. quomodo citaverit Paulus.*

# Index locorum.

# Addenda et corrigenda.

p. 5 lin. 12 lege ῷ pro ῳ

p. 5 lin. 13 bis irrepsit αἶ pro αἰ.

p. 10 lin. 4 lege ואהב pro יאהב

p. 18 lin. 19 lege נֶאֱכַל. Sic Gesen. l. l. p. 693, at scribendum erat באֹכַל

p. 36 lin. 4 ab inf. lege אִשְׁתֶּךָ

p. 47 lin. 15 lege τοὺς pro τοῦς

p. 48 lin. 24 lege לְבַדִּי

p. 59 lin. 5 ab inf. lege עַל־פִּי pro לְפִי

p. 60 lin. 10 lege: cod. Bodleian. saec. fere VIII.

p. 60 lin. 10 ab inf. dele al.

p. 68 not. 1 lin. 1 lege Job pro Jiob.

p. 69 not. 1: Etiam in iis Philonis fragmentis, quae Tischendorf nuper edidit (*Philonea* etc. Lips. 1868), nullum versionis Jobi Alexandrinae vestigium deprehendi.